ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno MDCLXXXIII.

ACADEMIE DES SCIENCES ET DES arts, contenant les vies, & les eloges historiques des hommes illustres, qui ont excellé en ces professions, depuis environ quatre siecles parmy diverses nations de l' Europe; par ISAAC BULLART, Chevalier de l' Ordre de Saint Michel. Divisé en deux Tomes.

a Paris 1682. fol.

id est,

Academia Artium & Scientiarum: exhibens vitas, & elogia, ac res gestas illustrium virorum, qui clari in sua arte quatuor intra sæcula apud diversas in Europa gentes extiterunt: auctore ISAACO BULLARTIO, Equite Ord. S. Michaelis; duobus Tomis divisa.

Parisiis, 1682. fol.

CLarorum virorum facta moresque posteris tradere, scribente Tacito, antiquitus usitatum: his quoque temporibus non negligendum sibi duxit ISAACUS BULLARTIUS, qui summo studio & exquisita industria non laudes saltem eruditione & artibus illustrium virorum composuit; sed vitas quoque eorundem, quantum earum consequi licuit, descripsit; & ut tanto expressior ipsorum memoria exstaret, icones adjecit æri incisas, duorum artificum non contemnendorum, *Larmessini* & *Bulonnesii*, opera elaboratas. Nam cum imagines ac statuæ, præclare meritorum de humano genere hominum vultus referentes, jam priscis temporibus, non magis ornamenti loco adhibitæ, quam ut memoria eorundem prorogaretur, ac posteri incitarentur ad imitandas insignes eorum virtutes, quorum simu-

simulacra saxis, cera, ære, argento, aurove expressa cernerent, propterea *animorum incitamenta* Senecæ epistola LXIV dicta, receptæ fuerint: laudabile sane istorum studium est, qui immortalitati defunctorum, utilitatibus vero superstitum, hoc dare satagunt, ut habitus oris, cujus jucunda recordatio, cum vita præstantium virorum ne intercidat, sed in omnis posteritatis oculis versetur. Quo studio veteres cumprimis flagrasse, Alexandri Severi exemplo, *imaginibus clarorum virorum lararium suum exornantis*, quod narrat Lampridius; ac Titi Pomponii Attici *singulari* de iis edito *volumine*, sed quod injuria ævi ad nos non pervenit, manifestum est. Idem propositum secutus est auctor hoc opere, in quo litterarum & eruditarum artium gloria illustrium virorum imagines, æneis insculptas formis, nitideque expressas, exhibet: subjecta cujusque vita Gallico idiomate descripta: quam monumento, sive sepulcrali inscriptione, qua cujusvis tumulus insignitus fuit, claudit & obsignat. Cui studio summa cum laude, nec minori felicitate cœpto cum immortuus fuisset, ipsius filius JACOBUS IGNATIUS BULLARTIUS immorandum, istudque absolvendum duxit: ita quidem, ut prolixiori verborum in elogiis ambitu repudiato, quem interdum adhibuerat parens, versibusque Ronsardi ac aliorum poetarum Gallicorum, quos pater insperserat, resectis, Vitas ab ipso conscriptas expoliret: novas autem, quarum notitia parentem fugerat, sed quam ipse consecutus fuerat, adjiceret: pluribusque imaginibus opus exornaret. In duos istud divisit tomos: quorum prior quinque libros continet: *primo* rerum publice gerendarum laude insignes, *secundo* rerum gestarum narrationibus bene meritos; *tertio* juris scientia claros; *quarto* litterarum elegantiorum opera præstantes; *quinto* pingendi, ædificandi, ac statuarum apte concinnandarum artis peritos, exhibente. Posterior sex libros complectitur: quorum *primus* rerum sacrarum cognitione eximios; *secundus* philosophiæ, matheseos, & medicinæ studiis præstabiles; *tertius* vario scientiarum genere excellentes; *quartus* carminum gloria celebres; *quintus* artium variarum, typographiæ, mathematices, geographiæ, musicæ, rei bellicæ, sive inventione, sive cognitione, ingens nomen meritos; *sextus* denique pingendi, oculorumque oblectandorum adjuvandorumve scientia insignes sistit.

JUSTINI HISTORIARUM PHILIPPICArum Libri XLIV: ex recensione Joannis Georgii Grævii; cum ejusdem castigationibus.

Lugduni Batavorum, 1683. in 8.

OMnium regnorum & rerumpublicarum, quæ floruerunt ante Servatoris Christi in terris ortum, origines, progressus & finem persecutus est olim *Trogus Pompejus*, laudatus Plinio, Charisio, Augustino, & veteri Virgiliano interpreti, aliisque. Hujus historiam in compendium redegit *M. Junianus Justinus*, ob id *compendiarius Trogi* dictus Saresberiensi: cujus ætatem in Antonini Pii tempora referunt; nullum autem ex vetustis scriptoribus, qui ex fœda barbariei tempestate, tristique rei litterariæ naufragio quasi eluctati ad nos pervenerunt, tyrociniis studii historiarum eo accommodatiorem esse, doctissimi viri censent. Tam terse sane, tam emendate scripsit, ut sæculi sui captum superare, nec solarum rerum, sed & verborum flosculos ex Trogo, optimi ævi scriptore, delibasse videatur. Nec præter eum quisquam amplius exstat eorum, qui secundum seriem temporum res plerarumque gentium digesserunt, in iisque ordine pertexendis elaborarunt: omnibus, sive totis sive maximam partem absorptis, & longa superioris memoriæ nocte, optimarumque artium fatali silentio deletis. Quo majori in pretio habendum conservandumque istum existimarunt, qui bonarum litterarum studia, superiori & hoc sæculo, industria sua excoluerunt. Inter quos illustre nomen *Jacobi Bongarsii:* qui ei perpoliendo magnam & utilem cumprimis operam impendit; quippe e decem optimæ notæ manuscriptis codicibus eundem integritati nitorique suo redditum emendatumque & notis illustratum anno 1581 Parisiis edidit, Vir amplissimæ dignationis, exquisitæ prudentiæ, & rarioris doctrinæ. Hunc secutus *Franciscus Modius* ad Fuldensium membranarum fidem eundem emaculatum, cum notarum spicilegio emisit. Et ad horum editiones plures aliæ compositæ passim prodierunt. Post eos *Daniel Pareus* Francofurti anno 1630, *Matthias Berneggerus* Argentorati anno 1631, *Marcus Zuerius Boxhornius* Amstelodami

dami anno 1638, *Isaacus Vossius* Lugduni Batavorum anno 1640, *Tanaquillus Faber* Salmurii anno 1671, *Johannes Vorstius* Berolini anno 1673, *Johannes Schefferus* Holmiæ anno 1678, *Josephus Cantelius* Parisiis anno 1677, studii sui, quod auctori huic impenderunt, monumenta in publicum emisere: quorum plerorumque notas, chronologiam, & indices, resectis tamen amputatisque non negligendis observatis, Amstelodamenses anno 1669 auspiciis Schrevelii excuderunt, & hos secuti Lugdunenses in Galliis, ac Uratislavienses typi sunt imitati. Utilem autem cumprimis & salutarem Justino operam Johannes Georgius Grævius impendit, ad Florentinam anni 1525 Juntarum editionem vulgatas hactenus componens, & insignem emendationem, eaque haut parum lucis pluribus scriptoris hujus locis, vel ætatis vitio, vel correctorum culpa depravatis afferens: quo studio suo exornatum notisque insignitum Justinum Trajecti ad Rhenum anno 1668 minori forma edidit. Igitur cum recudere denuo longe utilissimum auctorem superiori anno cuperet bibliopola Lugdunensis, vocato in consilium doctissimo & melioribus litteris juvandis nato Viro, omnes omnium qui hactenus Justinum illustraverant notas integras illibatasque, Bongarsii puta, Modii, Berneggeri, Vossii, Fabri, Vorstii, Schefferique adjiciendas, suas vero iisdem attexendas censuit: omittendas autem Cantelianas putavit, utpote serenissimi Delphini in usum adornatas, instituto autem suo, quod auctorum emendationi, sinceræque lectioni intendit, parum inservituras. Nec indicem a Freinshemio coeptum, a Vorstio autem & Scheffero locupletatum neglexit: adeoque quidquid egregii ad exornandum auctorem hunc in litteras unquam missum fuit, congessit; ut omnibus elegantiarum numeris absolutam hanc recensionem, nec meliorem hac editione ullam extitisse antea, merito affirmare liceat.

Die deutsche Bibel D. Martini Lutheri aus der Grund-Sprach/dem Context und Parallel-Sprüchen/ mit Beyfügung der Auslegung/ die in Lutheri Schrifften zu finden/ erkläret durch D. Abraham Calovium.

id est,

id est,

Biblia Germanice a Luthero versa, e fontibus, contextu, dictisque parallelis, secundum ductum ipsius Lutheri, ejusdemque utplurimum verbis declarata per D. Abrah. Calovium.

Wittebergæ, 1682. in fol.

POstquam *Biblia* Illustrata Latine jam ante decennium edidit Auctor celeberrimus, inque iis ψευδερμηνείαν heterodoxorum exegetarum haud postremi, H. Grotii, polemice adduxit & rejecit; jam Germanice eundem sacratissimum Codicem evulgavit, inque eo Interpretum orthodoxorum principis, B. Lutheri, verba, ubi ubi potuit, exegetice adhibuit & retinuit. Hæc nimirum cura præcipua in hoc Opere Theologi jam per XXXII annos in cathedra Lutheri docentis scribentisque indefesse. Præterea tam *capita*, quam *libros* accurate in sua membra distinxit; verbis singulis, si opus fuit, aut integris periodis interpretationem apte subjecit; eamque e linguis sacris, contextu & parallelismis pure hausit; ipsiusque Lutheri ore, ubi adhuc in scriptis ejus potuit audiri, fideliter expressit; adeo ut de literali sensu ubique, deque usu non raro constare queat. Totum Opus in V. & N. T. est distributum, illudque quatuor, hoc duobus Tomis, subjectis *totidem Indicibus* universalibus, comprehenditur & absolvitur: ut iis, qui dulcius ex ipso fonte bibi aquas, hoc est S. Scripturæ sensum e verbis Spiritus S. & Lutheri purissime cognosci norunt, haud ingratum esse possit.

LA GENESE TRADUITE EN FRANCOIS, avec l'Explication du Sens literal, & du Sens spirituel, tirée des SS. Peres, & des auteurs Ecclesiastiques.

sive

Genesis, Gallice versa, cum explicatione sensus literalis & spiritualis, excerpta ex SS. Patribus & Auctoribus Ecclesiasticis, Tomis duobus comprehensa.

Juxta exemplar Parisiense 1682. in 12.

Auctorem, licet nomen non adscripserit, celebrem Parisiis esse apparet ex testimonio censorum, qui plura ejus opera laudant: ipse vero Commentarium suum in Esaiam prophetam allegat. Præmisit amplam præfationem bipartitam, in qua multa sunt pie & candide dicta. Parte priori agit de auctoritate Moysis, miraculis ejusdem, & Christi atque Apostolorum testimoniis probata. Deplorat tempora nostra, quibus necesse sit Divinitatem Christi Christianis probare, postquam paganorum impietas convicta jaceat. Affert hujus probationis tria capita, indeque concludit, miracula nova pro veritate desiderari non debere, sed, ut ait Augustinus, *credendum esse mundo credente, nisi quis velit ipse prodigium esse, qui prodigia postulet.* Horrendum etiam esse, quod de veritate librorum sacrorum inter Christianos disceptandum sit, cum de antiquis auctoribus profanis nemo nisi summe stupidus aut impudens neget, libros ab iis, quorum nomen ferunt, scriptos esse. Provocat ad Judæos, qui libros Moysaicos, quamvis multa contra illos contineant, circumferant & pro authenticis habeant, majori cum stabilimento fidei, quam si Judæi omnes conversi essent, & paganis aut atheis suspicionem collusionis facerent. Laudat exemplum Augustini, qui Manichæorum scepsin tandem abjecerit; & damnat dubitationes Philosophicas, quibus tot magna ingenia hodie abripiantur ad Atheismum. Quanquam vero externis adminiculis argumentorum non opus habeant *pectora fidelia & simpliciter Christiana*, qualia deprædicat Augustinus: prodesse tamen externa illa etiam fidelibus ad firmandam fidem. Confert postea Mahommetis imposturas, earumque falsitatem & turpitudinem, cum veritate Christiana. In parte posteriori præfationis, institutum & ordinem operis sui enarrat. Præmittit iterum laudationem Moysis, qui non tantum ex divina inspiratione, sed & testium egregiorum traditionibus scripserit. Amramus enim pater Moysis narrare huic potuit audita a Levi patre suo: Levi vero vixit annis 33 cum Isaaco: Isaacus 50 annis cum Semo: Semus ante diluvium 100 annis cum Methusalem proavo suo, qui 260 annis cum Adamo vixerat. Sic inter Adamum & Isaacum duos tantum, Mathusalemum nempe & Semum; inter Isaacum & Amramum, parentem Moysis, unum Levi interfuisse, qui visa & audita ab iis, qui viderant, suis narrarent. Ostendit fundamen-

damentum hujus calculi in adjuncta tabella chronologica. Quod attinet ad Textum & Commentationes, profitetur versionem Gallicam (cui Latina Vulgata e regione apposita est) ad fontes Hebræos adornatam, & ex optimis interpretibus. Capitibus singulis subnectitur Annotatio ad sensum literalem, deinde ad spiritualem seu moralem, vel ubi materia prolixitatem non exigit, uterque conjungitur. Spiritualem sive Mysticum sensum dari omnino statuit contra eos, qui id negant: laudat tamen judicium Augustini, qui monuit, ne nihil, & ne omnia figurate scripta censeantur, ex lib. 16. de Civ. D. c. 2. Excusat, quod Origenem, & qui eum imitantur, quamvis pro sanctis doctoribus habeat, secutus tamen non sit. Auctam enim fontium notitiam, & erutum postea sensum literalem, ad veritatem solidam & ædificationem, facientem. Chrysostomum refert plusquam 60 homiliis Genesin explicasse, sed eo fine, ut exemplis Patriarcharum ad fidem & pietatem auditores excitaret; ad difficultates vero Textus non respexisse. Augustinum libris 33 in Genesin commentatum ad refutandum *Faustum Manichæum*, qui Deum & Patriarchas horrendis blasphemiis & conviciis infestaverat. Consulendos etiam libros Augustini XII, quibus adversus eosdem Manichæos opus Dei hexaemeron, & tria Geneseos priora capita explicavit, tum libr. 12 & 13 Confessionum. Petit veniam, quod hos auctores secutus, prolixior aliquando, præsertim in primis capitibus fuerit. Lectionis vero utilitatem summam fore spondet ob egregia sanctorum exempla, quibus plus, quam præceptis, apud populum proficiatur. Nihil certe præferri posse *tribus* illis *Patriarchis*, quorum Deum se supremum Numen nominaverit, repetente id Christo Matth. 8, 11, qui & beatitudinis locum in sinu Abrahami collocet Luc. 16, 14. Nec satis prædicari posse Adami pœnitentiam, Noachi obedientiam, Josephi patientiam, aliorumque illo tempore virtutes, qui teste Augustino veri Christiani fuerint, licet nomen non gererent. Ipsum vero Moysem, quantum virum, *ministrum Veteris Testamenti, heredem Novi!* Vitia etiam & eorum pœnas cum ædificatione legi. Commendat denique simplicitatem styli Mosaici, adducto testimonio auctoris pagani, περὶ ὕψεως cap. 7, & encomio D. Augustini lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 6. Mirum igitur non esse, quod primitiva Ecclesia tanti fecerit Sacras lite-

literas, & quod Concilia vetusta eas nominent *sancta verba & adoranda.*

METHODUS PLANTARUM NOVA, brevitatis ac perspicuitatis causa synoptice in Tabulis exhibita, cum notis Generum tum summorum tum subalternorum characteristicis, & observationibus nonnullis de seminibus plantarum. Auctore Joanne Raio M. A. e Societate Regia.

Londini, 1682. in 8.

CUm plantarum multitudo atque varietas fere infinita, mirum quantum confusionis obscuritatisque in animis Botanophilorum pariat, de methodo investiganda soliciti semper fuere Botanici, cujus beneficio plantæ & clare intelligi, & facile addisci, & retineri fideliter possent. Methodum autem ei rei prosperandæ adinventam ab illis non unam esse videas. Alii enim differentias plantarum a locis arcessunt natalibus; alii a diversis temporibus, vel mensium anni intercapedinibus; alii ab usibus, quos hominibus præstant in cibo, in medicina, in sensuum oblectatione, operibusque mechanicis; alii a signatura externa; alii ab auctoribus, a quibus nomenclatura plantis fuit imposita; alii a foliis horumque vel convenientia, vel disconvenientia; alii abs qualitatibus, odoribus puta ac saporibus; alii a radicibus diversis. Sed nulla methodorum harum tum ob prolixitatem nimiam, tum ob dubia inextricabilia approbare se potuit perspicacioribus Phytologiæ mystis. Alia igitur methodus reperta ab aliis, eaque melior & naturæ magis consentanea. Atque hic præter cæteros mirifica *Andreæ Cæsalpini* commendanda est solertia. Nam hic primus, quod sciamus, plantas a seminum & conceptaculorum unicuique flori succedentium numero, una cum corculi seminalis, hoc est puncti, unde germinatio incipit, situ, in genera seu classes distinxit. *Johannes* autem *Rajus* Anglus, qui & ipse notas plantarum characteristicas certas ac proprias, quæ & omnibus sub unoquoque genere contentis speciebus, & solis convenirent, investigavit, tum semina plantarum, earumque conceptacula, tum flores & perianthia, eo quod

quod nonnullorum generum certiores *longe notas*, quam aut ſemina aut eorum involucra *ſuppeditent*, *in conſilium adhibuit*, atque adeo methodum plantarum partim a ſeminum & conceptaculorum ſeminalium numero, *figura*, *ſitu* &c. *partim* a *floris* & perianthii in eisdem convenientia *aliisque* accidentibus, differentias generum conſtitutivas ſumpſit, *plurima*, ut ipſemet in præfatione fatetur ingenue, ex *Andrea Cæſalpino*, *Joachimo Jungio*, *Fabio Columna*, & *Roberto Moriſonio* mutuatus. Tabulas ſynopticas genera plantarum & ſpecies, harumque *differentias* ac notas *characteriſticas repræſentantes* præcedunt *ſectiones* V, quarum I generales quasdam de ſeminibus plantarum obſervationes exhibet, II de foliis plantarum ſeminalibus agit, quæ a ſuccedentibus foliis parvitate, ſuperficie lævi, *figura*, ac modo *naſcendi* differant. III de plantula *ſeminali*, reliquisque ſemine contentis. IV de floribus *plantarum*, harumque partibus ac differentiis. V de diviſione plantarum *generali* in Arbores, *Frutices*, Suffrutices, & Herbas, quanquam tertium membrum, Suffrutices nimirum, Autor reſecat, & ad Herbas refert, plantarum tria genera ſtatuens, Arborem, Fruticem, & Herbam. *His* ita præſtructis per Tabulas ſynopticas diſponit plantas, initio ab Arboribus facto, earumque diviſione in ſectione nova ſeu Tabula generali expoſita. *Exhibentur poſtmodum* Tabula I Arbores pomiferæ harumque ſpecies cum differentiis ac notis charactericis. II Pruniferæ. III Bacciferæ. IV Nuciferæ. V Coniferæ. VI Lanigeræ. VII Siliquoſæ. VIII arbores vaſculis ſeminalibus membranaceis membrisque extantibus aut adjunctis *auctis*, quibus ſubnecti poſſe autor cenſet, quæ anomalæ ſint & ſui generis. Arbores *excipiunt* Frutices. Horum partitione in Sectione II facta, ſiſtuntur in *Tabula* I Frutices bacciferi cum ſpeciebus ac differentiis ſecundum methodum ſemel cœptam. II Frutices bacciferi foliis deciduis non ſpinoſi. III Frutices foliis deciduis ſpinoſi. IV Frutices ſeminibus nudis *aut* vaſculis per maturitatem ſiccis incluſis, floribus non papilionaceis. V Frutices floribus papilionaceis. VI Frutices, qui cum herbis genere proximo conveniunt, & herbæ fruticeſcentes dici poſſunt. Fruticibus ſubjiciuntur herbæ, harumque tabula generalis in Sectione III præmittitur. Siſtuntur autem Tabula I ſpeciali plantæ imperfectæ, quæ flore videlicet aut ſemine carent, aut carere ſaltem, quia ſponte quaſi proveniunt, videntur, eæque ſpecifica-

cificatæ & certis characteribus discriminatæ. II Herbæ semine *minutissimo*, & nudo oculo vix conspicuo. III Herbæ acaules epiphyllospermæ, capillares, vulgo dorsiferæ dictæ, quia semina earum aversæ foliorum parti adnasci æstimantur, in punctis videlicet seu lineolis illis ferrugineis ibidem conspicuis. IV Herbæ flore imperfecto seu stamineo. V Herbæ flore imperfecto sexu carentes. VI Herbæ flore imperfecto monospermæ semine triquetro. VII, (post sectionem videlicet IV, quæ generatim agit de herbis flore composito, qui ex *pluribus videlicet flosculis in unum totalem florem* coeuntibus constant,) Herbæ flore composito seu aggregato, planifolio, natura pleno, lactescentes. VII Papposæ Herbæ flore discoide. IIX Herbæ flore discoide nudo. X Herbæ flore composito discoide. XI Herbæ corymbiferæ dictæ discoide nudo seu non radiato. *XII* Herbæ flore ex flosculis fistularibus, capitatæ vulgo dictæ. XIII Herbæ *flore* composito *anomalæ*, iisque affines, in quibus capitula aut spicæ *florum* compressiores flores compositos imitantur. XIV Herbæ flore perfecto seminibus nudis solitariis h. e. ad singulos flores singulis. XV Umbelliferæ plantæ seu semen in umbellis gerentes. XVI Herbæ umbelliferæ semine crassiore & minus compresso. XVII Herbæ stellatæ dictæ, quia folia caules ad intervalla stellæ radiantis in modum ambiunt. XVIII Herbæ asperifoliæ. XIX Plantæ verticillatæ fruticosæ. XX Plantæ verticillatæ herbaceæ. XXI. Herbæ semine nudo polyspermæ. XXII Herbæ semine nudo polyspermæ, sed *nullo* perianthio tectæ XXIII Herbæ pomiferæ. XXIV Herbæ *bacciferæ*. XXV Plantæ multisiliquæ seu corniculatæ. XXVI (post *insertam* sectionem de herbis, quarum semina conceptaculis per *maturitatem* siccis ad singulos flores singulis donantur) Herbæ *flore monopetalo* uniformi. XXVII Herbæ flore monopetalo *difformi*. XXVIII. Herbæ flore monopetalo bicapsulares, item herbæ *flore* monopetalo, vasculis seminalibus in terna aut plura *loculamenta* divisis, nec non herbæ tetrapetalo flore uniformi siliquosæ & capsulatæ. XXIX Herbæ flore tetrapetalo uniformi siliquosæ. XXX Herbæ flore tetrapetalo siliquosæ, semine rotundo seu globoso. XXXI Herbæ flore tetrapetalo uniformi seminibus capsula brevi inclusis. XXXII Herbæ flore tetrapetalo uniformi anomalæ & sui generis variæ. XXXIII Herbæ flore papilionaceo scandentes. XXXIV Herbæ flore pa-

re papilionaceo erectæ seu non scandentes, item herbæ flore papilionaceo siliquis articulatis. XXXV Herbæ flore papilionaceo siliquis geminatis duplicem seminum seriem continentibus. XXXVI Herbæ flore papilionaceo non scandentes trifoliæ. XXXVII Herbæ flore pentapetalo seu polypetalo, foliis integris in caule conjugatim dispositis. XXXVIII Herbæ flore pentapetalo aut polypetalo, foliis in caulibus nullo aut alterno ordine dispositis. XXXIX Herbæ flore pentapetaloide anomalæ. XL. Herbæ culmiferæ seu quæ caulem teretem geniculatum & plerumque concavum edunt, foliis cinctum ad singula genicula singulis, & quidem culmiferæ grano majore. XLI Herbæ culmiferæ grano minore. XLII. Herbæ graminifoliæ, non culmiferæ, flore stamineo. XLIII Herbæ radice bulbosa donatæ eæque graveolentes. XLIV Herbæ radice bulbosa odore nullo aut minus gravi præditæ. XLV Herbæ radice bulbosa tunicata odore nullo aut minus gravi. XLVI Herbæ foliis, floribus, pericarpiis aut radicibus bulbosis affines. XLVII Herbæ anomalæ & sui generis. Subnexa est *Synopsis Methodi*, qua *Andreas Cæsalpinus* in subfruticibus & Herbis disponendis utitur, & *Index* plantarum in Tabulis dispositarum copiosus, isque non Latina tantum, sed & Græca quoque & Anglica plantarum nomina præ se ferens; nec non *summorum Herbarum generum notæ characteristicæ*; & *nova Herbarum in tria genera divisio* memoriæ juvandæ ergo addita.

JO. GEORGII KULPIS COLLEGIUM Grotianum, super Jure Belli ac Pacis in Academia Giessensi XV Exercitationibus institutum.

Prostat Francofurti ad Mœnum apud Albertum Ottonem Fabrum, in 4to, 1682.

CUm Hugo Grotius primus fuerit, qui nobilissimam de Jure Naturæ & Gentium disciplinam in justum artis systema redegit; opus ejusdem aureum de J. B. & P. non solum seculi adplausum meruit; sed multos etiam viros doctissimos excitavit, qui eandem scientiam vel ductu laudati Grotii excolerent, vel in libros illius commentarios aut notas scriberent. Quos cum legere sine magistro juvenes ejus-

ejusmodi rerum adhuc imperiti nequeant, *Autor clarissimus*, novo instituto, sed captui discipulorum satis commodo, universi operis Grotiani argumentum, velut in compendium redegit: ita, ut observato ordine materiarum, quo se insequuntur invicem apud Grotium, sententias prolixiores paucis verbis excerpserit, ac ubi illæ obscuræ visæ sunt, vel non satis probæ, adjecto uno alterove vocabulo, reddiderit perspicuas & planas, aut etiam si opus fuit, emendaverit; interdum etiam postulantibus sic auditoribus suis, in argumenta, quæ pro contraria sententia adferri solent, inquisiverit, ac collatis postmodum aliis interpretibus, suam sententiam stabiliverit. In qua opera tamen non dissimulat, se ex doctissimi viri *Ulrici Obrechti* JCti Argentoratensis fontibus, quædam in suos rivulos derivasse. Nam hujus se scholas, cum Argentorati degeret, frequentasse gratus profitetur. In prima Exercitatione, de natura ac indole hujus disciplinæ, per modum προπαιδείας philosophatur: in quatuordecim sequentibus, ut jam dictum est, Grotii vestigiis insistit, fideliter tamen allegatis aliorum testimoniis, queis in hoc compendio passim usus est, aut quos etiam censura quadam modeste notavit.

EHRENFRIEDI KLOZII DIFFERENTIÆ Juris Civilis & Reformationis Francofurtensis.

Francofurti 1682. in 4.

IN strepitu litium Fori componendo, & administranda cuivis justitia, geminam Germania nostra trutinam agnoscit, unam Juris domestici ac in sinu nati, alteram vero peregrini & a Romanis asciti, Comitiali tamen consensu Procerum Germaniæ *quasi* civitate donati. Cum igitur ex utriusque lancibus suum cuique *hoc* ordine reddatur, ut litium momenta aliique actus civiles semper ad normam prius Juris patrii, *sive* universale *sive* particulare *illud* fuerit, ponderentur, ac demum eo in casu, ubi hæc deficere videtur, ad alteram a Romanis acceptam, recurratur, liquido patescit, utriusque naturam exacte futuro JCto cognoscendam esse, nisi quis non sine probro idem audire velit, quod Quintum Mucium Servio quondam dixisse refert Pom-

Pomponius. Et hinc non poteſt non omnium puncta ferre eorum inſtitutum, qui Jus Romanum cum *Jure* proprio, vel Provinciali vel Statutario ita conferunt, ut quod inter ea diſcrimen intercedit, unicuique ponatur ob oculos. *Luculentum hic* hujus *rei* ſpecimen dedit Auctor, qui in hoc ipſo libro *Juris* Civilis & Reformationis *inclytæ* Civitatis Imperialis Francofurtanæ differentias, ex ipſis textuum viſceribus ſuccincte pariter & perſpicue exponit.

ERNESTI GOCKELII, PHILOSOPH. ET J. U. D. nec non Reip. Ulmenſis Conſil. Methodica Tractatio de Jurisdictione ſuprema, inprimis ad ſtylum & praxin Cæſareo-Imperialis Judicii Aulici.

Ulmæ 1682. in 4.

PEr Jurisdictionem ſupremam intelligit Auctor h. l. eam, quæ verſatur circa Judicia ſive primæ ſive ſecundæ inſtantiæ, quamque exercet, vel aliis exercendam concedit ſummus Princeps ut lites componantur. Quoniam vero ſcopus ejus σκοπιμώτατ☉ eſt, hoc in libro Imperii noſtri Germanici pandere Jurisdictionem, in quantum ea per Judicium Imperiale Aulicum ſeſe potiſſimum exſerit, hinc, præmiſſis quibusdam generalioribus & ſumma Juris dicendi poteſtate Cæſari vindicata, de Jurisdictione ipſius Judicii Imperialis Aulici, Commiſſionibus Cæſareis & Appellationibus diſſerit; mox, Ferdinandi III Imperatoris Ordinatione Judiciali Aulica ſecundum Alphabethi ſeriem in epitomen redacta, ipſum, qui in hoc ſupremo Judicio obſervari ſolet, Proceſſum, brevibus exponit, tandemque Taxam Imperialem Aulicam, ut & Imperii ac Cameræ Imperialis auctam matriculam appendicis loco annectit.

JOHANNIS VOET P. F. G. N. J. U. D. ET Antecesſoris Lugduno-Batavi Compendium Juris juxta ſeriem Pandectarum, &c.

Lugduni Batav. 1683. in 8.

PAndectas in nuce daturus Auctor, nihil aliud hoc libello agit, quam ut ad latiora Juris volumina, aliquando majori cum fructu evolvenda, tyronibus paret aditum. Hinc intra cancellos compendii subsistens, nulla antiquitatum monimenta, nullas historias, nulla auctorum testimonia, nec alia ex disciplinis Philosophicis petita huic opusculo admiscet, sed levi ac simplici via progressus, thesium suarum robur non aliunde, quam ex solis legibus, iisque haud magno numero constipatis, sed præcipuis, data simul in contextu contrariarum brevissima & nervosa analysi, depromit, hisque *consuetudines & mores patrios*, in quibus illi divortium a Jure Romano faciunt, ad calcem cujusque tituli superaddit. Quibus ita ad finem perductis, succedunt Civilis atque Canonici Juris differentiæ, quas ipsi paratitlorum textui *inserere* noluit, ne nondum firmata discentium ingenia in diversum abeuntibus Canonum placitis turbarentur. Indicis loco subnexæ sunt definitiones atque *divisiones variæ*, juxta seriem Institutionum Imperialium digestæ, quas tenaciter memoriæ mandari suadet. Sub finem vero procemii huic ipsi libello præfixi, ὡς ἐν παρόδῳ tangit quendam, qui diu *Cephæ Pistophili* larva textus, varia in se vibrasset spicula, sed cum semel & iterum repulsus, apertius professo nomine fuisset criminatus, huic epistola quadam ad Amicum se respondisse dicit, cui iste denuo præfationem suæ *Vi veritati illatæ repulsæ* præmissam, opposuerit. Cum vero hæc ipsa nihil novi ac solidi contineret, eam comtemtu se vindicaturum profitetur, hoc unice lectorem rogans, ut utriusque scripta postrema probe ad se invicem conferat, & ex iis de justitia causæ ferat judicium.

JOHANNIS SCOTI ERIGENÆ DE divisione naturæ libri quinque diu desiderati. Accedit appendix ex Ambiguis S. Maximi Græce & Latine.

Oxonii A. C. 1681. in fol.

INter Ecclesiasticos noni seculi Scriptores fama haud postremus est Johannes Scotus Erigena, a natali solo forte sic appellatus, quod editionis hujus Autor non cum plerisque in Scotia vel Hibernia indigenis

genis Erin dicta, sed in Ergene quærendum suspicatur. Est autem Ergene ipso teste pars non contemnenda Herefordensis Comitatus Walliæ contermina in eo terræ tractu, qui a modernis Wallis Erynug vel Ereinuc dicitur. Quam conjecturam exinde firmat, quod Johannes hic ab *Hidensium Annalium* conditore, & *Johanne Rosso* in lib. de Regibus, Wallus nominetur, & quod Scoti Walliæ fines aliquando occupaverint, unde Scoti cognomen Erigenæ accedere potuerit. Sed nolumus jam ejus patriæ, de qua Autores admodum inter se dissentiunt, qui vitam ejus attingunt, diutius immorari. Illud ex *Prudentio Tricassino* coævo Scriptore constat, quod in Hibernia saltem versatus fuerit, antequam in Gallias abiret, ubi eum *Carolus Calvus* assiduum & familiarem mensæ & cubiculi comitem habuit, donec certaminum, quibus liber adversus *Gotteschalcum* scriptus ipsum implicaverat, pertæsus in Angliam concessit. Illic vero dum Magistri officio fungeretur, eadem cum Prudentii Cassiano fata expertus & puerorum graphiis confossus perhibetur, sive dogma Eucharistiæ, ut *Genebrardo in Liturg. Dionys.* & *Vossio in hist. Pelag.* aliisque placet, sive alia quæcunque causa, quam in tanto Historiarum silentio divinare difficile est, puerilia hæc arma in ipsius necem concitaverit.

Inter ingenii monumenta, quæ reliquit, sunt *libri quinque de divisione naturæ*, in quibus per modum dialogi inter magistrum & discipulum, post generalem rerum divisionem in ea quæ sunt & non sunt, quatuor naturæ differentias exponit, quas statim sub initium operis summatim hoc ordine recenset: *prima est, quæ creat & non creatur, secunda in eam quæ creatur & creat, tertia in eam quæ creatur & non creat, quarta quæ nec creat nec creatur.* Quid de singulis statuat persequi, ne vel obscuritate rerum vel nimia prolixitate lectori tædium creemus, supersedemus. At de integro opere, quod juxta fidem antiqui manuscripti cum alio Gallicano diligenter collati in Anglia nunc primum prodit, præfatio monet, quod diu sine nomine circumlatum, & a *Trithemio Johanni Scoto Mailrosio* perperam tributum, sed a *Wilhelmo Malmesburiensi* & aliis Historicis Johanni Erigenæ recte vindicatum fuerit, cum vel e subjecta *S. Maximi* versione, unum eundemque utriusque operis Autorem esse constet.

Scripsit nimirum *S. Maximus* inter alia expositionem *ambiguorum*

rum aliquot locorum, quæ in *Gregorii Nazianzeni* operibus continentur. Atque hæc ambigua saltem ex parte latine vertit Scotus Erigena, quæ nunc una cum epistola ejus nuncupatoria ad Carolum Calvum (ejus enim ad nutum hoc tentaverat) libris de divisione naturæ instar appendicis accedunt. Ea vero quoad Græca magna ex parte *Emerico Bigotio*, sed quantum ad Latina *Johanni Mabillonio* accepta referri cupit doctissimus Editor, ex cujus emendationibus ad calcem additis apparet, Erigenam in Græcis alphabetarium fuisse.

Sed nihilominus præter Maximi Ambigua etiam *Dionysii Areopagitæ* pleraque monumenta in Latinum sermonem transtulit. Et hoc opus, quod in Bituricensi Jesuitarum Collegio manuscriptum *Labbeus*, ac simul cum *Dionysii Carthusiani* commentariis Coloniæ A. C. 1536 typis excusum extare *Simlerus* & *Frisius* in Bibliotheca sua referunt, itidem Carolo Calvo dedicavit, ad quem eo nomine duas epistolas, unam soluta, & alteram ligata oratione scripsit, quas una cum *Anastasii Bibliothecarii* ad eundem Carolum de eodem argumento epistola, in Hibernicis suis epistolis *Jacobus Usserius* in publicum emisit.

Quamvis autem hæc Dionysii versio Scotum nostrum apud nonnullos in Hæreseos suspicionem adduxerit, longe tamen gravius ejus liber *de Prædestinatione*, quem *Hincmaro Remensi* & *Pardulo Laudunensi* impellentibus adversus Gotteschalcum scripsit, impugnatus est. Selecta enim ex hoc libro capitula & *Prudentius Tricassinus*, cui ea *Venilo* Archiepiscopus Senonensis transmiserat, & *Ecclesia Lugdunensis*, sive Diaconi sui *Flori Magistri*, sive alterius cujuspiam opera utens confutavit. Quin & *Synodus Valentina* ista Scoti capitula tanquam Scoticas pultes veritati nauseam afferentes rejecit & damnavit, cujus canones postea *Synodus Lingonensis* confirmavit & *Tulensis apud Saponarias* publice relegit, qua de re *Jacobus Usserius* in Hist. Gotteschalci, nec non *Gilbertus Mauguinus*, qui hunc Scoti librum una cum Prudentio, Floro & aliis noni seculi monumentis ad hanc controversiam pertinentibus publici juris fecit & dissertationibus illustravit, ejusdemque Antagonista *Ludovicus Cellotius*, qui ut per Gotteschalci latera Jansenistas pungeret, Hæretici illius historiam quinque libris complexus est, prolixius egerunt.

Nec

Nec meliora fata liber Erigenæ *de Euchariſtia*, in quo Berengario prælusit, habuit. Nam *Adrevaldus* Floriacenſis Ordinis Benedictini Monachus Veterum Patrum ſententias de Corpore & Sanguine Chriſti adverſus Erigenam collegit, quem libellum Tomo XII *Spicilegii Dacheriani* inſertum cernimus. Et poſtea circa medium ſeculi undecimi liber *in Concilio Pariſienſi* & *Vercellenſi* damnatus, & in *Romano* inſuper combuſtus apud *Lanfrancum* & alios Autores legitur. Num vero liber ille Scoti adhuc ſuperſit, nec ab eo differat, qui ſub *Ratramni* nomine vulgatus extat, ut *Petro de Marca in epiſt. ad Dacherium*, & P. *Pariſio* ord. Canonic. Regul. Congreg. S. Genovefæ Theologo, hoc ipſo anno fatis ſuis defuncto, in diſſertatione ad finem Tomi I de perpetua Eccleſiæ fide circa Euchariſtiam edita videtur, nondum ſatis manifeſtum eſt, ut ex iis liquet, quæ in eam rem diſſeruit *Johannes Mabillon* in præf. ad part. 2. quarti Seculi Benedictini.

Idem Mabillon, diligentiſſimus antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator, Erigenæ librum *de Viſione Dei* in MSC. Codice Claronariſcenſi prope Audomaropolin deprehendit, qui nondum lucem publicam aſpexit.

Reliqua opuſcula, quæ Scoto tribuuntur, ut *Commentarii in Martianum Capellam, excerpta ex Macrobio, de diſciplina Scholarium liber, diſputatio cum Theodoro Studita, Verſio Moralium Ariſtotelis, verſio libri Ariſtotelici de regimine Principum, Commentarii in decem Ariſtotelis Categorias, dogmata Philoſophorum, homiliæ, de fide contra Barbaros, & Tomi Paraphraſtici*, pleraque Scoto ſuppoſita videntur.

Cæterum qui huic Scoto, vel ob conſenſum in doctrina de S. Cœna, vel ob alias cauſas bene volunt, allegant, quod inter ſiniſtras multorum cenſuras haud pauca doctrinæ & ſanctitatis elogia tulerit, & Chryſoſtomi cognomento decoratus fuerit; quod Græca quam affectavit literatura, gliſcentibus inter Nicolaum I & Photium diſſidiis, multum invidiæ ipſi conciliaverit; quod multa in eo reprehendantur, quæ in aliis Patribus, ſi non probata, ſaltem diſſimulata fuerint; denique quod, cum martyr obiiſſet, grata poſteritas ad d. 4. Id. Novembr. memoriam ejus celebraverit, inque *Martyrologio Romano*, quod A. C. 1580 prodiit, decus illi ſuum adhuc integrum conſtiterit.

At contra qui sentiunt, inter hæreticos illum referunt, nomenque ejus fastis sacris aut merito expunctum, aut nunquam illis insertum, omniaque quæ de honorifico martyrii titulo ex antiquo epitaphio & aliis monumentis afferuntur, ad alium Johannem pertinere contendunt. In hoc autem utraque pars consentit, quod Erigenæ ingenium, subinde spinosis & perplexis speculationibus nimium indulgens, in varios errores prolapsum fuerit, a quibus hos de naturæ divisione libros immunes haud esse, lubens agnoscit Vir doctissimus, cujus industriæ hoc opus diu ab eruditis *frustra quæsitum & desideratum debemus.*

DANIELIS GEORGII MORHOFII STENTOR ὑαλοκλάςης, sive de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto Dissertatio, qua soni natura non parum illustratur.

Kiloni A. 1682. in 4.

INter ævi hujus Panepistemonas referendus vel maxime venit *Daniel Georgius Morhofius*, Professor Academiæ Kiloniensis celeberrime jamdudum florens. Neque enim intra Themidis, cujus summa axiomata jamdudum obtinuit, sese continere potest cancellos, quin libero & excelso animo per latissimos scientiarum linguarumque omnium campos feratur, Poeseos quippe & Eloquentiæ quas publice profitetur, antiquitatis item omnis, atque uti Philosophiæ universæ, ita Naturæ imprimis arcanorum & olim & recens inventorum consultissimus. Utique naturæ illum mystagogum esse vel solus hic libellus, *Stentor* ὑαλοκλάςης inscriptus, seu *de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto dissertatio*, locupletissimus potest esse testis. Omnia enim in illo allegationibus rarissimorum Autorum, omnia experimentis recentissimis sunt plena, nec ullum eorum sine acuta atque accurata disquisitione a perspicacissimo hoc viro dimittitur. Ediderat is jam ante decennium *Epistolam* de hoc ipso argumento, instigante Collega ejus celeberrimo & Medico apud Kilonienses primario *Johanne Daniele Majore*, ad quem & denuo tractatum hunc auctum atque interpolatum perscripsit. Hæc dici non potest, qua aviditate lecta,

lecta, quoque applausu excepta ab Eruditis fuerit. Eodem certe anno in linguam Belgicam conversa a non-nemine est, exemplaque primæ editionis spatio temporis non longissimo distracta omnia, frustraque adeo in Bibliotaphiis fuere quæsita. Flagitatus itaque Autor impetrari a se non difficulter fuit passus, ut novam scripti illius adornaret editionem, præsertim cum rem ab *Athanasio Kirchero* vocari in dubium, & a *Daniele Bartoli* desiderari in hoc experimento nonnihil intelligeret. *Epistolam* autem mutavit in *Dissertationem*, eamque non in capita tantum XVIII tribuit, sed & singulis lemmata seu summaria præmisit.

Primum autem, ut levi & insono quasi pede potissima percurramus, occasionem meletematis hujus exponit Autor, suppeditatam scilicet a Nicolao Pettero, Oenopola Amstelodamensi, qui scyphos vitreos voce non unos, Morhofio aliisque comitibus præsentibus, perfregerat. Deinde vitrum, corpus illud ex arena, cinere, & sale, summa caloris vi, per colliquationem compactum, tanquam Phænomeni hujus subjectum, considerat, idque non fragile tantum, sed & ductile, malleabile & flexibile, penetrabile item ac porosum esse ostendit, inventis novissimis connotatis, aliorumque autorum sententiis hinc inde confutatis. Vindicatis in vitro poris, investigat soni rationes, easque ex æqualitate tensionis ac proportione impetus ad mobile deducit; & quia corpus tenditur vel secundum lineam, vel secundum superficiem ac soliditatem, primum agit de tensione corporis secundum lineam in chorda, & cur chordarum æque tensarum altera tacta non tactam ad sonum lacessat, dispicit; dehinc de tensione corporis secundum superficiem in tympano, ut & de tensione corporum solidorum, metallorum puta, & ex metallis conflatorum v. g. campanarum, nec non lignorum, quorum & clarior effici possit sonus, si in cineres redigantur; ex sale siquidem illorum per ignem tenso novus per παλιγγενεσίαν artificialem sonus excitetur. Quia autem sonum non in tensione tantum, sed & in motu consistere dixerat, in motum porro inquirit, quem duplicem facit, internum alterum, qui a particulis tensis oriatur, si non actu semper se moventibus, at perpetuo tamen mobilibus, alterumque externum, qui internum illum particularum motum consequatur, motum videlicet aeris externi corpus sonorum in cavitate ambientis, qui & undulatorius

rius ab eo, quia eadem proportione per totum aeris veluti oceanum se diffundit, dicitur. Differit postea de scyphorum vitreorum voce frangibilium figura & capacitate, de voce item clamantium frangendis vitris apta, vocalem U ululanti similem fortiorem esse innuens, quam reliquas A E I; nec non de soni in spatium ingens propagatione; qua occasione non Tubæ tantum Stentorophonicæ hodie usitatæ fit mentio, sed & Buccina Alexandri M. quæ ad LX milliaria audita fertur, sed conficta videtur Morhofio, in duplici figura, altera quidem ex *Kirchero*, altera ex *Achilleno* exhibetur. His ita subtiliter expositis, non obscuram amplius causam esse ait, ex qua vitri fractura proveniat. *Data* enim *tali conditione materiæ* (en ipsa Morhofii verba!) *ex armillis parum flexilibus constantis*, *dato etiam eo*, *quod moveri ac comprimi ab externo impellente & undulis illis aereis possint*, *fieri potest*, *ut ultra resiliendi potentiam compressæ particulæ resiliant*, *ipseque aer vi quadam erumpens ipsum vitrum rumpat*, *ea regione*, *qua quam maxime ab aere impellente stringitur*. Hæc cum non absone conjectasset, memorabilia quædam non de scyphorum tantum vitreorum, sed & campanarum, imo & montium saxorumque fractura subjicit. Quod autem vitrum per diapason vel sonum octavæ disrumpatur, id rationis dat Autor, quod octava sonorum omnium sit complementum, fortiorque longe sit cæteris ob vim motus duplo vehementiorem; non diffitetur tamen vitrum per sonum unisonum rumpi certius, in hanc sententiam tum a *Daniele Bartoli*, tum proprio experimento pertractus; quanquam per octavam quoque eundem effectum obtineri δευτέρως posse existimet. Sed explicandum jam illud erat, qua ratione vitri partes a sono homogeneo moveantur. Ita igitur hac de re censet Morhofius, *corpuscula undularum aerearum voce propulsatarum hoc præcipue in sono poris vitri esse configurata*, *ut eos subeant*, *in reliquis non ita*; ab impulsu enim & motu rem omnem procedere; & quoniam ab arteria aspera formatur sonus, mirificissimam ejus compositionem non incongrue hic loci contemplatur; ostensoque præter impetum etiam celeritatem, modificationem & configurationem soni requiri, sententiam suæ tibicinem subdit ex Hookio, eamque motu chordarum unisonarum simili illustrat, imo & alia in sonis sympathiæ exempla v.g. lignorum, lapidum ac statuarum adducit. Impetus autem jam dicti omnino magnam

magnam & plane admirabilem esse efficaciam, exemplis tonitruum ac tormentorum fragoribus confirmatur. Horum enim obstupenda vis est in frangendis corporibus, fenestris, ovis, scyphis vitreis, in corrumpendo vino & *cerevisia*, in piscibus exanimandis, in laxanda alvo. Mira etiam *vis* campanarum in tempestatibus discutiendis, mira etiam clamoris militaris. Ubi non incommode & illa ventilatur quæstio, num muri Hierichuntini vi naturali soni proportionati conciderint, an eversi per miraculum divinum fuerint? Autor postquam Rabbinorum hac de re explosit nugas, speciose multa pro sententia *Mersenni*, muros illos naturali sono fuisse dirutos existimantis, affert; agnoscit tamen tandem, vel Deum ipsum, vel angelos immediatam eversionis illius causam, præsertim cum & Apostolus fidei unice ruinam murorum illorum adscribat. Sed hæc obiter de sono explosivo differuerat. Ad vocem itaque humanam, quæ certo sono vitri intima perrumpit, e diverticulo quasi redit. Cujus modificatio cum sit varia, illius quoque artis, qua aliquis a natura surdus, atque adeo mutus per visum informari sic potest, ut & ipse loqui discat, & per visum loquentes alios percipiat, autores atque experimenta profert; deinde de mirabili sonorum corporibus proportionatorum efficacia, nec non de viribus Musicæ in movendis affectibus morbisque curandis plurima ac plane admiranda subjungit, ac denique dissertationem hanc de scypho vitreo per certum vocis humanæ sonum fracto *Hamelii* & *Fogelii* testimoniis, novo item de eo experimento (rumpi & illum posse affirmans, *si alius juxta positus scyphus æquisonus digito in gyrum ducto ad sonum commoveatur*) & ingeniosissimo epigrammate Germanico obsignat. Sed Autorem inspicere ipsum pretium erit operæ. Is enim uti cornu copiæ quoddam est eruditionum non trivialium, ita legentes quosque sic delectabit, ut ardentissimum in ipsis reliquorum ingenii fœtuum, quos affectos perfectosve domi fovet, desiderium accendat.

TRATTATO SOPRA LA PESTE DI GIORGIO Calafatti Nobile Cretense, Dottore e Professore Publico di Medicina Teorica nel celebre studio di Padoua.

id est,

Georgii Calafatti Nobilis Cretensis, Medicinæ Theoreticæ in Academia Patavina Doctoris & Professoris Publici, Tractatus de Peste.

Venetiis, 1682. in 8.

PEstis, quæ multas hactenus Europæ provincias afflixit, multorum etiam *naturam ejus ac medelam explorantium ingenia*, diverso cum successu, exercuit. Idem argumentum tractaturus Nobilissimus *Calefattus*, pestem veram a contagio distinguendam monet: illam enim ab aeris corruptione dependere, & citra aliarum rerum contactum per inspirationem solam homines opprimere; hoc vero, etsi etiam universalem causam supponat, nonnisi per contactum rerum aut personarum infectarum propagari. Præterea peste vera non homines tantum sive bene sive male dispositos, sed bruta quoque corripi asserit: contagio autem homines tantum male dispositos, non vero bruta, nisi res infectas devorarint. Quemadmodum vero illos ad contagium excipiendum maxime pronos & aptos judicat, qui rariore corporis habitu ac cute gaudent: sic densiori textura instructos majori cum periculo idem experiri censet, quod hæc venenum semel conceptum non adeo facile evaporare sinat. Inde, qua ratione homines pestis corripiat, ostendit, signaque ejus triplicia, scilicet prognostica, indicativa, & rememorativa seu ἀναμνηστικά, & causas pestis explicat, ac demum remedia tam præservativa, quam curativa, prolixa serie recenset.

EXPERIMENTA NOVA CIRCA PANcreas. Accedit Diatribe de Lympha & genuino Pancreatis usu. Authore Joh. Conr. Brunnero, M. D.

Amstelodami, 1682. in 8.

CUm observasset *Cl. Brunnerus*, Pancreas, cui superiora secula vix pulvinaris, ventriculum fulcientis, aut spongiæ, recrementa serosa absorbentis, munus concesserant, a diversis magni nominis hoc ævo Medi-

Medicis atque Anatomicis, v. g. a *Sylvio & Graesio*, ad vitam summe necessarii laticis fontem, unde omnis animali salus æque ac interitus promanet, constitui, i. e. in theoria ac praxi omne fere punctum illud ferre: per experimenta, in pluribus canibus vivis adornata, hypothesin hanc laudabili maxime conatu examinavit; scilicet vel pancreas post ligaturam decentem extrahendo, vel hujus ductus tantum resecando, adeoque commercium hujus visceris cum intestino intercipiendo; & quidem utplurimum animali sospite & incolumi manente, commodeque post consolidatum abdominis vulnus edente, bibente, egerente, & uno verbo, cunctas functiones vitales rite obeunte; imo uno quoque ex martyribus his anatomicis catulos pariente, in dissectis vero post mortem omnibus visceribus ordinarie & secundum naturam constitutis. Atque hæc quidem aliquoties repetita experimenta horumque administrandi rationem prolixioribus non tantum circumstantiis describit, sed relationibus etiam illorum alia phænomena anatomica passim immiscet, v. g. pulsum cordis in cadavere canino, per flatum receptaculo lumbari immissum, resuscitatum & ab octava matutina ad duodecimam cum dimidia horam continuatum; humorem pancreaticum non acidum, sed insipidum fere aut subsalsum, observatum; Thoracici ductus & Lymphatici superioris varium concursum, & ad venam cavam habitudinem; insertionem ductus pancreatici in cholodochum singularem &c. Hinc lymphæ amplum satis in œconomia animali usum explicat, ac duplicem eam pronunciat, glandularum sc. conglomeratarum, & conglobatarum: quarum illa viscidior alimentis digerendis, in ore, ventriculo ac intestinis, commisceatur; hæc vero limpidior magisque defæcata, immediate ipsi chylo intra glandulas mesenterii, ductum thoracicum, & venam subclaviam affundatur; utramque nihilominus unam scaturiginem, sc. sanguinis serum, agnoscere docet. In specie ad Menstruum seu humorem ventriculi solventem digreditur, hujusque acorem, hactenus Scholis Medicorum adeo decantatum, per argumenta non minus ac experimenta, destruit; illum autem vel ratione substantiæ suæ aqueæ salinas alimentorum particulas dissolvere, vel activitatis, quam a spirituum animalium elasticitate recipiat, has & alias divellere, digestione præprimis superveniente ait; ita ut deliquescendo quasi alimenta in chylum abeant, ex iis vero emollitis, per ventriculi & intestinorum reciprocas constrictiones & triturationes, hic, instar emulsionis

nis cujusdam, simul exprimatur; variis experimentis hypothesin hanc suam comprobans. Ast intestinorum tubum postquam elabatur chylus, a conglobatarum demum lympha, tam intra mesenterium, quam extra hoc, perfectionem ultimam hunc demum ait recipere: ita tamen, ut, cum quædam animalia lympha conglobatarum glandularum plane destituantur, sc. ovipara & quæ non lactant, adeoque nec vasis lacteis gaudent, in his conglomeratarum lympha uberior observetur, v. g. in pennatis & serpentibus, imo ex his non improbabile fiat, aliquid chyli per venas quoque mesaraicas rubras massæ sanguineæ adduci. Usum ergo pancreatis Noster eum suspicatur, ut ejus succus chylificationem in ventriculo inchoatam, cum glandularum intestinalium latice, continuet, ciborum particulas exagitatas irretiat, simulque bilis acrimoniam temperet, neutiquam vero, quæ *Sylvii*, *Graefii* aliorumque est sententia, cum eadem effervescat: qua occasione in puero ductum pancreaticum atque cholodochum (præter consuetum alias in homine naturæ ordinem) diversis & transversi fere digiti distantia, in duodenum osculis insertos, mediante nihilominus canali quodam transverso communicantes, se vidisse refert. Quod autem rescisso quamvis pancreate omnes actiones naturales rite se habeant, ideo contingere putat, quoniam ad alia filtra glandulosa tunc temporis idem succus copiosius redundat, adeoque in his usum pancreatis, alimentis & chylo præstandum, restituit. Denique quomodo chylus ac lympha sanguini connubat, quosque usus cruor æque ac aliæ partes ab hac percipiant, exponit: sc. quod sanguinis partes cunctas involvat, spirituosas irretiat, hasque æqualiter dispenset, salinas temperet, cunctas vero alias agglutinet, a glandulis conglobatis resorpta chylum diluat, intra conglomeratas vero aliis, & nominatis jamdum succis præparandis inserviat; Spiritibus animalibus, qui sine visco hoc alias facile evanescerent, aut intempestive ac tumultuarie moverentur, vehiculum ac frænum existat, & animal intra & extra uterum nutriat. Quibus demum *Joh. Conr. Peyeri* Schediasma de pancreate & ejus usu, una cum Autoris Responso subnectitur.

JAN-

JAN. ABR. A GEHEMA, EQ. MED. DOCT. S.R.M. Polon. Consil. & Medici Extraord. de Morbo vulgo dicto Plica Polonica, Literulæ ad D. Cornel. Bontekoe.

Hagæ Comitis, 1683. in 8. & Hamburgi in 12.

QUi miles & centurio hactenus extiterat, e castris Martialibus ad Medica transit Scriptor præsens, non tantum de Moxæ in Podagra usu hoc ipso anno edito tractatu, sed & Epistola hac publicata. Sc. cum videret, raram hanc de Plica Polonica materiam a paucis admodum Medicis sufficienter fuisse enucleatam, imo ipsos Poloniæ Practicos ad alios, sc. Italos, suos, quos morbo hoc affectos observant, non sine Nationis suæ dedecore ablegare, quasdam a se in eodem malo observatas circumstantias congessit, harumque causas & medelam a *Dn. Bontekoë*, ut Practico celeberrimo, petit. Præprimis autem Russis potius, quam Polonis, morbum hunc gentilitium seu inquilinum asserit; per contagium eundem propagari, variisque præter plicas capillorum symptomatis, v. g. paralysi, arthritide, contracturis, colica, visus imbecillitate, cœcitate &c. stipari: imo certis aquis vim plicandi, & quidem in momento fere, subesse. Gloriari in his plicis Sarmatas ait, easque non saltem in capite, sed in pube quoque gestare: imo Scythiæ, Poloniæ & Russiæ bruta nonnulla, oves sc. canes, ac frequentius equos, iis infuscari: & quod stupendum, fœtus quoque, calvastros natos, per solius imaginationis maternæ vim temporis tractu plicas contrahere.

Occultatio Palilicii
observata
GEDANI
a
JOHANNE HEVELIO,
Anno æræ Christ. 1683, die 9 Januarii St. n. vesp.

Ordo Phasium.	Temp. sec. Horol. amb. Hor. ′ ″	Observationes Palilicii.	Distantiæ & Altitudin. ° ′ ″	Quo Instrum.	Tempus Correct. Hor. ′ ″
1	8 43 5	Dist. Palilicii a Sectione luminis & umbræ Lunæ.	0 29 39	Microm.	8 49 5
2	8 47 30	Eadem distantia	0 27 22		8 53 30
	8 54 30	Altitudo Pollucis.	48 48 0	Quad. or.	9 0 5
	8 55 15	Eadem altitudo	48 53 0		9 1 22
3	8 58 10	Dist. * a Sect. luminis ac umbræ denuo capta.	0 22 48	Microm.	9 4 10
4	9 22 30		0 13 41		9 28 30
5	9 42 15	Initium Occultationis Palilicii		Telescop.	9 48 15
	9 50 40	Altitudo Reguli	24 12 0	Quad. or.	9 56 35
	9 54 15	Eadem altitudo	24 40 0		9 59 51
6	10 55 30	Finis Occultationis Palilicii		Telescop.	11 1 30
7	11 3 58	Dist. * ab occid. Lunæ limbo	0 5 19	Microm.	11 9 58
8	11 9 10	denuo	0 7 36		11 15 10
9	11 13 20	Iterum capta.	0 9 7		11 19 20
	11 19 12	Altitudo Reguli	36 16 0	Quad. or.	11 25 32
	11 21 2	Eadem altitudo	36 22 0		11 26 20
	11 23 20	denuo observata	36 40 0		11 28 46
10	11 28 30	Dist. * ab occid. Lunæ limbo.	0 15 12	Microm.	11 33 56
	11 35 40	Diameter Lunæ	0 31 30	Microm.	11 41 40
11	11 44 23	Distantia Palilicii a limbo Lunæ occidentali.	0 22 48		11 50 23

Notanda.

Hæc observatio ex voto, cœlo perquam sudo a me peracta est; non solum enim ipsum initium occultationis exquisitissime, sed & ipsum momentum emersionis notavi; tum nonnullas distantias, priusquam stella tecta fuit a confinio Lucis ac umbræ, ope Micrometri, tum post emersionem diligenter dimensus sum. Luna eo tempore nondum ad Oppositum venerat Solis, sed confinium Lucis & umbræ incidebat ad Mont. Porphyritem, Mare Syrticum & Sinum Sirbonis; diameter Lunæ erat 31′. 30″ & Libratio ad Paludem Mœotidem minima extitit, Luna versante circa maximam Latitudinem Austrinam. Linea vero Itineraria Stellæ incedebat sub centro Lunæ ad 4 circit. minut. & quidem ad Sinum Syrticum, Mont. Sipylum, inter Montem Olympum, & Mont. Didymum, ad Sinum Atheniensem, per Fretum Ponticum, infra Insulam Majorem Maris Caspii.

TRAITE DE LA PRATIQUE DES BILLETS, entre les Negotiants, par N. N. Docteur en Theologie.

Sive

Sive

Tractatus de usu schedularum inter Mercatores N.N. *Theologiæ Doctoris.*

Lovanii, 1682 in 12.

DIu multumque agitata est inter Christianos, nec immerito, quæstio de usuris, *an* & quatenus eæ licitæ sint; incumbit enim fidelibus, ut a peccatis, *sub* periculo amittendæ salutis, abstineant. Cum autem Mercatores, ut de aliis jam nihil dicatur, *sine fœnore negotiari* non possint, & *de* hoc per schedulas, (billets) aut cambii, quod vocant, literas, sibi cavere soleant, Autor hic conscientiæ illorum prospecturus, quæstionis statum proponit, quid mutuum & quotuplex sit, & quæ usurarum ratio & utilitas explicat, deinde assertum it, usuras ad præscriptum Legum exerceri posse, nec peccari contra jus divinum naturale, positivum; humanum sive Gentium, Canonicum, Civile, decreta Pontificum, Conciliorum, Regum; & respondet ad objectiones. Hæc omnia breviter & terse, ut mereri videantur, transferri etiam in alias linguas, & cum plurium regionum legibus conferri, atque expendi.

LA VIE DU SULTAN GEMES, PAR LE Sr. J. B. de Rocoles, &c.

Sive

Sultani Gemis, unici fratris Bajazethis II Turcorum Imp. Vita, per J. B. de Rocoles, Historiographum Gallicum & Brandeburgicum.

Lugduni Batavorum, 1683 in 12.

TUrci illius, sive Gemis, sive Zizimi, aut aliud nomen habuit, crudelitatem fratris fugientis, sed ab Alexandro VI Pontifice, ære Turcico corrupto, veneno sublati, multi illorum temporum Scriptores meminerunt. Excerpsit & examinavit illa Rocolius, aliis jam libris famam adeptus, & additis ingeniosis digressionibus, Commentarii historici modum implevit, in materia fere sterili. Secutus inter alios est *Verdierium*, qui compendium rerum Turcicarum Gallice scripsit, aliaque non pauca: sed hunc cum uxore in Xenodochio prope Lutetiam miserrime & exemplo literatis metuendo viventem se deprehendisse, non sine dolore commemorat.

METHODUS AUFERENDI OMNES TERminos intermedios ex data æquatione, per D.T.

EX Geometria Dn. Des Cartes notum est, qua ratione semper secundus terminus ex data æquatione possit auferri; quoad plures terminos intermedios auferendos, hactenus nihil inventum vidi in Arte *Analytica, imo non paucos offendi, qui crediderunt, id nulla arte* perfici posse. Quapropter hic quædam circa hoc negotium aperire constitui, verum saltem pro iis, qui Artis Analyticæ apprime gnari, cum aliis tam brevi explicatione vix satisfieri *possit: reliqua*, quæ hic desiderari possent, alii tempori reservans.

Primo itaque loco, ad hoc attendendum; sit data aliqua æquatio cubica $x^3 - pxx + qx - r = 0$, in qua x radices hujus æquationis designat; p, q, r, cognitas quantitates repræsentant: ad auferendum jam secundum terminum supponatur $x = y + a$; jam ope harum duarum æquationum inveniatur tertia, ubi quantitas x abfit, & erit

$$\begin{array}{llll} y^3 + 3ayy & + 3aay & + a^3 & = 0 \\ - pyy & - 2pay & - paa & \\ & + qy & + qa & \\ & & - r & \end{array}$$

Ponatur nunc secundus terminus æqualis nihilo (quia hunc auferre nostra intentio) eritque $3ayy - pyy = 0$. Unde $a = \frac{p}{3}$: id quod indicat, ad auferendum secundum terminum in æquatione Cubica, supponendum esse loco $x = y + a$ (prout modo fecimus) $x = y + \frac{p}{3}$. Hæc jam vulgata admodum sunt, nec hic referuntur aliam ob causam, quam quia sequentia admodum illustrant, dum hisce bene intellectis, eo facilius, quæ modo proponam, capientur.

Sint jam secundo in æquatione data auferendi duo termini: dico, quod supponendum sit, $xx = bx + y + a$; si tres, $x^3 = cxx + bx + y + a$; si quatuor, $x^4 = dx^3 + cxx + bx + y + a$, atque sic in infinitum. Vocabo autem has *æquationes assumtas*, ut eas distinguam ab æquatione, quæ ut data consideratur. Ratio autem horum est: quod eadem ratione, prout ope æquationis $x = y + a$ saltem unicus terminus poterat auferri, *quia nimirum unica saltem* indeterminata hic existit a, sic eadem ratione ope hujus $xx = bx + y + a$, non nisi duo termini possunt auferri, quia duæ indeterminatæ a & b adsunt;

adsunt; ac sic porro ope sequentis $x^3 = cxx + bx + y + a$, non plures tribus auferri possunt, quia tres tantum indeterminatæ a, b, c. Ut autem intelligatur, qua *ratione* hoc assequi liceat, ostendam qua ratione duo termini *ex data* æquatione ope assumptæ $xx = bx + y + a$ sint auferendi: *hinc* enim (cum ubique eadem Methodus sit procedendi) facile *constabit*, quomodo in hac re progrediendum, quousque quis *velit*. Sit itaque

Tertio, Æquatio Cubica $x^3 - pxx + qx - r = 0$, ex qua auferendi duo *intermedii* termini: auferatur primo secundus terminus (id quod equidem non opus est, sed saltem hic ob nimiam prolixitatem evitandam fit) tunc hinc obtinebimus æquationem similem huic $y^3 - qy - r = 0$, Jam sit assumta æquatio (juxta secundam annotationem) $yy = by + z + a$, & fiat porro hinc tertia æquatio (procedendo juxta cognita Analyseos præcepta) ubi quantitas y penitus absit, & obtinebitur

$$\begin{array}{l} z^3 + 3azz + 3aaz + a^3 = 0 \\ \quad - 2qzz - 4qaz - 2qaa \\ \qquad + qqz + qqa \\ \qquad - qbbz - qbba \\ \qquad + 3rbz + 3rba \\ \qquad\qquad - rr \\ \qquad\qquad - qrb \\ \qquad\qquad + rb^3 \end{array}$$

Ponatur jam in hac æquatione Cubica secundus & tertius terminus æquales o (quia hos duos intermedios auferre nostrum propositum) & orientur hinc duæ æquationes $3azz - 2qzz = 0$, & $3aaz - 4qaz + qqz - qbbz + 3rbz = 0$, quarum ope duæ indeterminatæ determinantur: invenitur siquidem $a = \frac{2q}{3}$ & $b = \frac{3}{q}$ multiplicatum in $\frac{r}{2} \pm \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}}$. Si itaque loco a & b modo inventæ quantitates substituantur in æquatione $yy = by + z + a$, ejus ope, in æquatione data Cubica, duo termini poterunt auferri; seu quod eo recidit, data æquatio Cubica ope hujus æquationis $yy = by + z + a$, in aliam Cubicam æquationem transmutabitur, ubi duo intermedii termini *ablati* erunt. Et sic idem processus observatur ad tres, quatuor, quinque &c terminos auferendos. Cum enim data æquatio semper ope assumptæ ad aliam redigatur, quæ æque altas dimensiones obtinet (veluti unico intuitu patet hic fieri) in hac tertia, tres, quatuor, quinque &c termini poterunt æquales poni nihilo, atque hinc totidem semper æquationes habebimus, quot indeterminatæ

 adsunt,

adsunt, ut proinde hæ semper ope harum æquationum possint determinari.

Notandum quarto, quod hinc similes regulæ possint formari, atque exhibet Dn. des Cartes pro auferendo secundo termino ex data æquatione, dum dicit, quod ad auferendum secundum terminum ope æquationis $x = y + a$ in æquatione quadratica quantitas a debeat æquari $\frac{p}{2}$; in æquatione Cubica $\frac{p}{3}$, atque sic porro. Dico etenim, quod ad auferendos duos terminos ope æquationis $xx = bx + y + a$, in æquatione Cubica $x^3 + qx + r = 0$, a debeat supponi æqualis $-\frac{2q}{3}$ & $b = \frac{3r}{2q} + \sqrt{\frac{9rr}{4qq} + \frac{q}{3}}$: in æquatione quadratoquadratica, $x^4 + qxx + rx + s = 0$, debeat supponi $a = -\frac{2q}{4}$, & $b\ \frac{3r}{2q} \pm \sqrt{\frac{9rr}{4qq} + \frac{2q}{4} - \frac{2s}{q}}$: in Æquatione $x^5 + qx^3 + rxx + sx + t = 0$, $a = -\frac{2q}{5}$, & $b = \frac{3r}{2q} + \sqrt{\frac{9rr}{4qq} + \frac{3q}{5} - \frac{2s}{q}}$: in æquatione denique $x^6 + qx^4 + rx^3 + sxx + tx + u = 0$, $a = -\frac{2q}{6}$, & $b = \frac{3r}{2q} + \sqrt{\frac{9rr}{4qq} + \frac{4q}{6} - \frac{2s}{q}}$, atque sic in infinitum. Qui itaque similibus delectatur, his bene intellectis, rem hanc facile ulterius promovere poterit.

Quinto, qualis autem promotio Analyseos hæc sit, & quanti usus, periti Analystæ facile judicabunt: Ego unicum saltem hic corollarium deducam, quod nimirum hinc Methodus exhibeatur omnium æquationum cujuscunque gradus Radices analytice determinandi, idque exemplo ostendam. Sit etenim æquatio Cubica $x^3 - pxx + qx - r = 0$, auferatur hinc secundus terminus ope hujus $x = \frac{y}{3} + \frac{p}{3}$ & invenietur

$$y^3 \begin{array}{l} -3ppy \\ +9qy \end{array} \begin{array}{l} -2p^3 \\ +9pq \\ -27r. \end{array} = 0$$

Ponatur jam brevitatis causa $3pp - 9q = q$, & $2p^3 - 9pq + 27r = r$: Unde erit $y^3 - qy - r = 0$. Jam hæc æquatio rursus transmutetur in aliam Cubicam, ubi duo intermedii termini absint, idque fiet (prout supra indicatum) ope æquationis $yy = by + z + a$, si nim. quantitas a fiat æqualis $\frac{2q}{3}$ & $b = \frac{3}{q}$ in $\frac{r}{2} + \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}}$ (fiat brevitatis causa $\sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}} = f$, & $\frac{r}{2} + \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}} = g$) tunc etenim invenietur hinc $z^3 = -\frac{216 f^3 g}{q^3}$ Unde $z = -\frac{6f}{q}\sqrt[3]{g}$ Antea erat $yy = \frac{3gy}{q} + \frac{2q}{3} + z$, cum vero quantitas z modo inventa, erit $y = \frac{3g}{2q} + \sqrt{\frac{9gg}{4qq} + \frac{2q}{3} - \frac{6f}{q}\sqrt[3]{g}}$.

Porro

Porro antea quoque ſupponebatur $x = \frac{p}{3} + \frac{y}{3}$; cum itaque y jam inventa, erit tandem $x = \frac{p}{3} + \frac{g}{2q} + \sqrt{\frac{gg}{4qq} + \frac{2q}{27} - \frac{2f}{3q}\sqrt{\frac{3}{g}}}$ Radix æquationis Cubicæ $x^3 - pxx + qx - r = 0$, quæ Radix diverſa eſt ab expreſſione Cardanica, & præcipue quoque in eo, quod unicum ſignum radicale Cubicum includat; cum Cardanica expreſſio duo involvat.

Notandum vero ultimo, quod non ſolum ope æquationum exhibitarum annotatione ſecunda, duo, tres, quatuor &c termini ex data æquatione auferri poſſint; ſed quod variis aliis æquationibus, diverſis ab his, idem quoque facere poſſim: imo quod omnes poſſibiles æquationes, ope quarum hoc negotium peragi poſſit, facile enumerare valeam: Ac quod proinde (per annot. 5.) omnium æquationum, omnes poſſibiles expreſſiones Analyticas Radicum, hac Methodo exhibere poſſim, prout ſuo loco diffuſius explicabo. Jam ad confirmationem horum, quæ modo dixi, breviter oſtendam, qua ratione etiam alia expreſſio Radicum Cubicæ æquationis, ope ablationis terminorum poſſit detegi, quæ apprime reſpondet Cardanicæ expreſſioni. Sit etenim $y^3 - qy - r = 0$, ſupponatur $yz = zz + a$, & ope hujus inveniatur tertia, ubi y penitus abeſt,

$$\begin{array}{l} z^6 + 3az^4 - rz^3 + 3aazz + a^3 = 0: \\ \qquad\quad - qz^4 \qquad\quad - qazz \end{array}$$

in hac æquatione, ſi termini, ubi z quatuor & duas dimenſiones obtinet, ponantur æquales nihilo, invenietur $a = \frac{q}{3}$ & hinc erit $z^6 - rz^3 + \frac{q^3}{27} = 0$: Unde $z = \sqrt[3]{\frac{r}{2} + \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}}}$ quæ reſtituta in æquatione aſſumpta $yz = zz + \frac{q}{3}$ exhibet $y = \sqrt[3]{\frac{r}{2} + \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}}} + \dfrac{\frac{q}{3}}{\sqrt[3]{\frac{r}{2} + \sqrt{\frac{rr}{4} - \frac{q^3}{27}}}}$, Radicem deſideratam æquationis $y^3 - qy - r = 0$.

ISMAELIS BULLIALDI OPUS NOVUM ad Arithmeticam Infinitorum, Libris ſex comprehenſum.

Lutetiæ Pariſiorum, in fol. 1682.

Pro-

PRodiit anno 1656 Oxonii *Arithmetica Infinitorum* D. *Joannis Wallisii*, Geometriæ Professoris Oxoniensis celeberrimi: quam postquam, titulo libri invitatus, evolvisset *Cl. Bullialdus*, utilitate inventi amplissima adductus est ad pertexenda ea, quæ reliqua sibi a *Wallisio* facta esse deprehendit. Tam nobilem enim methodum, tamque late profuturam, non sola inductione, in qua substitisse *Bullialdo* visus est *Wallisius*, absolvi, sed geometricis arithmeticisque demonstrationibus exornandam ratus, jam inde ab anno 1662 fila huic operi contexendo ducere cœpit: quod, postquam ad sextas usque quantitates delatus, involutionem rationum & numerorum in altioribus gradibus occurrentium multitudinem exhorruisset, consummatum luci exposuit publicæ. Quam autem in condendo Opere, in quo nova plurima, nemini hactenus Mathematicorum animadversa, demonstrationibus quamplurimis novis elegantissimisque instructa pertractavit, tenuerit, brevi sex librorum, in quos distributum est, recensione non difficulter intelligetur.

In *primo* autem *Libro*, primi fundamenti loco simplices numeros adhibens, atque a positis ab unitate deinceps exorsus, imparium, pariumque & triangularium proprietates evolvit; eosque tum ipsos, tum ipsorum summas inter se comparat: Triangularium præcipue, quorum scilicet usum veluti perpetuum comperit, ita ut citra opem eorum multæ quantitates, nec plene cognosci, nec commode inter se comparari possint, naturam sedula indagine rimatus est, diligenterque explicuit.

Secundo post *Libro*, gradu ad quadratos promoto, horum & triangularium mutuas habitudines, & mirabilem cumprimis connexionem, qua summæ, ex diversis seriebus quadratorum ab unitate, & contiguis deinceps numeris continuatorum collectæ, sibi in infinitum respondent, demonstrat: juxta quam nempe,

$$\text{Seriei}\left\{\begin{array}{l}\text{primæ triplum}\\ \text{secundæ quadruplum}\\ \text{tertiæ quintuplum}\end{array}\right\} + \text{quintuplo}\left\{\begin{array}{l}\text{secundæ}\\ \text{tertiæ}\\ \text{quartæ}\end{array}\right\}\begin{array}{l}\text{duplo tertiæ}\\ \text{triplo quartæ}\\ \text{quadruplo quintæ}\end{array}$$

seriei, & sic in infinitum.

Tertio, universali nullique hactenus usurpata methodo, sub quibus numeris aut magnitudinibus triplum summæ Quadratorum, quadruplum summæ Cuborum, & quintuplum summæ Quadratoquadra-

quadratorum, in ſerie continua ab unitate ſumtorum contineatur, deducit: ortus porro oſtendit *multiplicium* ex his, eorundemque ad multiplices maximorum, Quadrati, Cubi, Quadratoquadrati, in ſummis memoratis *poſitorum* habitudines; quas ad conſequendum proportiones *definitarum* ab illis magnitudinibus figurarum apprime utiles *pronunciat*.

Idem *etiam Quarto Libro* circa Quadratocubos & Cubocubos quintas ſc. & ſextas quantitates præſtat: i. e. ſub quibus magnitudinibus *ſummæ*, illorum ſextuplum, horum vero ſeptuplum contineatur, enunciat; atque hic, ut in antecedentibus, diſpoſitionem numerorum & analogiam, aliis Autoribus ignotam adhibet, eaque demonſtrando perficit, quæ *Celeberrimus Walliſius* inductione inchoaverat. Ex quibus omnibus *Bullialdus* concludit, ſpatiorum plurimorum, ſolidorumque menſuras, & rationes quas inter ſe habent, methodo Arithmeticæ Infinitorum oſtenſive demonſtrari & definiri poſſe: adhibitis non ſolum illis poteſtatum gradibus, quibus demonſtrationes prægreſſæ conſtant; ſed etiam altioribus, quibus ſuæ quoque proprietates inſunt & rationes.

Huic aſſertioni confirmandæ, *Libro quinto*, in tres partes diviſo, ex antegreſſis facilius atque ab *Archimede* præſtitum eſt, demonſtrat, quas inter ſe ſervent rationes, ſphæra, cylindrus & conus, eorumque ſuperficies. Parabolas deinde quadraticas in cono ſectas, cubicas, quadratoquadraticas & ſuperſolidas conſiderat; earum quadraturas exhibet, & quomodo ad ipſas ducendæ ſint tangentes, non ſine aliqua in *Walliſii* & *Stephani de Angelis Conica* ſtrictura docet. Conoidea porro, ab ipſis genita, ut ſe habeant ad cylindros & conos æque altos, & ſuper iisdem baſibus conſtitutos definit. Hyperbolas deinde conicas & cubicas contemplatus, in ſphæroidibus deſinit.

Libro tandem *ſexto* in Theorematibus quibusdam, quæ ad parabolam & circulum junctim conſideratos ſpectant, occupatur, & occaſione data refractiones radiorum luminoſorum in lentibus vitreis ſphæricis, parabolicis, hyperbolicis & ellipticis, quæque illarum perficiendis teleſcopiis conducant, determinat: demonſtrationibus quarundam propoſitionum, quas *Dn. Walliſius* inductione probaverat, in antecedentibus a ſe omiſſis finem operi faciens.

REMARQUES SUR LES ACTES DE LA derniere assemblée generale du Clergé de France.

five

Animadversiones in Acta nuperorum comitiorum generalium Cleri Gallicani, sive examen commonefactionis pastoralis, & methodorum, quas Clerus proposuit. Opus ex Anglico Dn. Burneti Gallice versum a Dn. de Rosemond.

Londini, 1683. in 12.

ANnus jam vertitur, cum auditum est, Clerum Gallicum Romano-Catholicum, auctoritate Regia congregatum, commonefactionem ad Galliæ Protestantes edidisse, per quam ad conciliationem cum Ecclesia Romana paterne & humanissime invitarentur. Propositos etiam, methodorum nomine, XVII modos fuisse, quibus conversio illorum absque violentia procurari posset. Et utrumque quidem scriptum non Lutetiæ tantum Parisiorum, sed in Belgio etiam jam superiori anno excusum, publice prostat. In Anglia vero non recusa tantum nuper hæc opuscula, sed sub examen etiam vocata sunt a Burneto, cujus in ea animadversiones Anglico idiomate compositas in Gallicum Rosemundus vertit, ac cum iis simul publici juris fecit.

Exhortatoria vero Cleri Calendis Jul. 1682 Parisiis data, subscripta habet nomina Archi-Episcoporum VIII, Episcoporum XXVI, aliorumque Prælatorum & Theologorum complurium. Stylus benignus est, & temperatus. Compellantur Protestantes fratrum nomine; vocantur blande in sinum Ecclesiæ; urgentur sæpius, ut dicant, quare separationem sive schisma fecerint? Præsupponitur, non aliam illos causam habuisse, quam corruptelam morum in Ecclesia Romana deprehensam, sed ob hanc deseri unionem fidei non debuisse; peccatum id Donatistarum & Novatianorum fuisse. Laudatur Regis Christianissimi zelus ad reducendos errantes, & tollendum schisma. Additur tandem cautio & protestatio, quam integram hic legi, quia digna consideratione est, non ingratum fortasse Benevolo Lectori futurum est. *Quod si*, inquiunt, *facere adhortantibus nobis pertinaci animo renuitis; si nec precibus*

cibus vinci, nec flecti charitate, nec monitis adduci ad concordiam vultis, Angeli quidem pacis amare flebunt; nec tamen vos continuo, ut fieri par esset erga nimium pervicaces, relinquemus vobis: sed per sepes & spinas oves Christi quærere non desinemus: & cum effecerimus omnia, propter quæ mentes vestræ nobis reconciliari debuerint, pax nostra demum, vobis eam respuentibus tam officiose tam sincere oblatam, revertetur ad nos, nec amplius requiret Deus animas vestras de manu nostra; & quemadmodum hic error vester novissimus erit pejor priore, sic erunt novissima vestra pejora prioribus. Verum meliora speramus, Fratres, & saluti vestræ viciniora. Animadversionis ad Pastoralem hanc Epistolam summa est, male convenire vocem Jacobi cum manibus Esavi. Inter ipsa enim blandiloquia hæc, adversus Protestantes summum rigorem adhiberi, & fidem tum Regiorum Edictorum, & benevolentiæ Pastoralis, a Clero ostentatam, ipso facto subverti: certe spiritum Christi misericordis & placidi non apparere. Deinde, frustra exigi professionem causarum schismatis; eas enim notissimas & toties vulgatas esse, quotidieque scriptis & doctrina publica exhiberi.

Sequuntur Methodi XVI (alii XVII numerant) ad convincendos Protestantes, partim a Cardinale Richelio, partim ab aliis inventæ, ac a Clero Gallico superiore anno publicatæ; & in earum singulas, Burneti Angli animadversiones, quibus id agit *Auctor*, ut ostendat, istis quidem machinis religionem, qualem Calviniani profitentur, non subrui. Ac optandum omnino esset, ut & ea, quæ Clerus Gallicus his ipsis methodis parti adversæ objicit, & quæ ad ea Burnetus regerit, recenseri hic accurate possent. Fatendum enim, quod præcipua controversiarum, quæ inter Romano-Catholicos, & Protestantes Calvinianos hodie intercedunt, momenta hic expendantur. Ast fieri hoc ea brevitate non potest, quæ instituto nostro convenit: & nulli dubitamus, librum hunc non magnum, Cleri Gallici methodos, & Burneti ad eas responsa complexum, propediem in Latinum etiam sermonem iri translatum, ut legi ab omnibus, etiam Gallicam linguam non callentibus possit.

Denique Burnetus sibi quoque licere existimat, quæ Romano-Catholicis convincendis conducant, proferre in medium, quæque suspectam religionis Romano-Catholicæ veritatem faciant. Scilicet I, quod sibi auctoritatem definiendi credenda arrogent, & obedientiam

cœcam exigant, plebem a lectione S. Literarum arcendo, utendo lingua peregrina in cultu publico, atque ita occultando mysteria divina, & populum in ruditate ac ignorantia detinendo. 2. Quod ad evehendam Cleri potentiam tot dogmata foveant, jactando summum miraculum in conversione sacramenti, vim consecrationum, necessitatem confessionum particularium, & quod vim sacramentorum dependere faciant ab intentione sacerdotum, ut adeo omnium hominum salus in illorum arbitrio versetur. Eodem pertinere exemptionem cleri ab imperio *Magistratus politici*, *hierarchiam Pontificiam*, *hujusque* praetensam super Reges & regna potestatem. 3. Quod doctrinam invexerint, ficto purgatorio, venditisque censuris, per quam opes provinciarum Christianarum magna ex parte in Cleri dominium concesserint. Plus hæc dogmata illi profuisse, quam Hispaniarum Regi inventam Americam. 4. Quod auctoritatem *sibi*, & dogmatibus atque potentiæ suæ quærant, *falsis diplomatibus*, *corruptis libris*, *fictis* miraculis, & Sanctorum fabulis, ut jam cordati & doctissimi ex eorum cœtu agnoscant ac erubescant, Rituales etiam libros a fabulis purgandos. 5. Quod summa iracundia & crudelitate adversus dissentientes grassentur, contra doctrinam & exemplum Christi. Tandem axiomata eorum, quibus maxime innituntur, aggreditur, negatque probari posse jactatam *successionis Episcopalis non interruptam* seriem; nec recte Ecclesiæ immunitatem ab omni errore attribui credit; obstare enim Judaicæ Ecclesiæ exemplum tempore Christi, quæ vera fuerit, capitali licet errore de officio Messiæ inquinata; infallibilitatem etiam seu Ecclesiæ, seu Pontificis Romani frustra prætendi; & Traditionum ac Præscriptionum principium admitti non posse, quod applicando, quæ invocationi Sanctorum, & præsentiæ corporis Christi in cœna ex fundamento Traditionis deductæ objici possunt, pluribus exequitur; ipsisque tandem Galliæ Episcopis Traditionis neglectum ac violationem imputat, quod sententiam tot seculis in Romana Ecclesia receptam ac stabilitam, qua Romano Pontifici jus Reges ac Principes hæreticos aut hæreticis patrocinium præbentes deponendi vindicatur, non ita pridem publico solennique decreto rejecerint.

REFLEXIONS SUR L' UNION QUE les Calvinistes ont fait avec les Lutheriens &c.

Sive

Sive

Considerationes unionis, quam Calvinistæ inierunt cum Lutheranis.

Ad exemplar Parisiense, 1683. in 12.

ANni sunt *plusquam* quinquaginta, cum Ministri Reformatarum Ecclesiarum, Synodo Carentoni habita, decreverunt, Lutheranos, qui vellent, *in* communionem suam recipere, additis rationibus, quod in *principiis fidei* idem cum Reformatis sentiant, nec in cultu suo habeant, quæ idololatrica sint. Quod igitur Clerus Gallicanus in Methodo convincendi Protestantes, ex hoc decreto primo loco Richelii Cardinalis ductu arripuit, id dissertatiuncula hac acrius exequitur Anonymus, & Reformatis dicam scribit, quod in Lutheranis dogma consubstantiationis ferant, nec ob id Fraternitatem Christianam & communionem publicam iis denegent, cum tamen ex illo, vel Calvino teste, adorationis necessitas sequatur. Impostores itaque & obstinatos esse, quod ob hanc potissimum Catholicos Romanos vitent & schisma foveant: sublato enim hoc obstaculo idololatriæ, quam prætexant, nihil restare, quo minus Romano-Catholicis conciliari possint. Sed huic objectioni quid Reformati respondeant, non est ignotum. Burnetus, sive quisquis est, qui nuper ad methodum *illam animadversiones* edidit a nobis jam jam recensitas, ita se expedit, ut dicat, Reformatos quidem consubstantiationem non magis, quam transsubstantiationem credere, nec Calvinum, dum contra Lutheranos disputaret, frustra ostendisse, quid ex dogmate illo sequatur: sed quoniam Lutherani consecutionem negent, nec *in* praxi illam exhibeant, sed adoratione Elementorum abstineant; non convenire, ut ob errorem Theoreticum in hoc articulo a communione excludantur: sed Pontificios longius progredi, nec intra opinionem consistere. Ideoque merito schismatis causam, neque tamen hanc solam dedisse. *Hæc ille.* Quæ autem sit Ecclesiæ nostratis sententia, institutioni CHRISTI conformatissima, qua & præsentia realis creditur, & adoratione, deficiente mandato, in actu hoc sacramentali abstinendum esse statuitur, ex confessione publica & libris eam exhibentibus & explicantibus, peti potest.

CONFERENCES DES PROTESTANTS oppossées aux XVII Methodes du Clergé de France.

Sive

Sive

Collationes Protestantium, opposita XVII methodis Cleri Gallicani.

Lutetiæ, 1682. in 12.

PAucis pagellis Minister quidam sive Ecclesiastes, ut videtur, inter Reformatos Gallicos, sententiam suam exponit ad postulatum Cleri Romano-Catholici, ut *Colloquia* inter dissentientes instituantur, quæ abnuisse, habitis synodis, videntur Reformati. Adducit multas rationes, quibus ostendat, non abnuenda esse, & respondet ad dubitationes, victoriamque suis, ut doctioribus, & veritatis fundamento instructis, certam pollicetur. Sed conditiones accipiendi colloquii has proponit, (1) ut ex utraque parte tres aut quatuor sint collocutores, ex doctissimis electi. (2) ne ad audiendum admittantur, quam quos utraque pars probaverit. (3) ut placide & absque convitiis agatur. (4) ut nemini negotium exhibeatur ob dicta, sed plena libertas & securitas præstetur. (5) ut promittatur utrinque, sequenda esse, quæ vera deprehendantur; non quidem gloriæ sed salutis causa. (6) judicium unice sit ex sacris literis. (7) ut acta subscribantur & firmentur ab utraque parte. (8) ut quoniam a Reformatis exigitur, ut causas schismatis profiteantur & probent, non procedatur ad aliam & novam causam, nisi prius illa, quam proposuerint, pro insufficienti declaretur: satis enim esse, ad amovendam schismatis culpam, si vel unam causam probent. Videt autor conditiones has admissum non iri, neque tamen, præter quintam, ullam relaxari posse. Itaque nunquam fore putat, ut ad colloquia perveniatur; satius tamen esse, ut Protestantes ad ea paratos se, certis nempe, iisque quas proposuit, conditionibus, ostendant, quam si illa defugiant, & calumniandi occasionem præbeant, ac si id ex causæ desperatione facerent.

OBSERVATIONES QUÆDAM ANATOMICÆ circa Pilos, in diversis corporis membris repertos, ut & circa dentes, ossa &c. communicata ab Eduardo Tyson M. D. & Regiæ Societatis Socio.

Excerptæ ex collectionibus Philosophicis Anglicanis num. 2. pag. 11. seqq.

E*Pistolæ cujusdam* Norimbergæ anno 1680 datæ, & Collectionibus Philosophicis Anglicanis insertæ, quæ cadaver humanum, ante

43 an-

43 annos sepultum, ac tum forte erutum, maximam partem in pilos longos ac crassos conversum fuisse perhibet; item Scriptorum variorum, *Hippocratis scilicet, Plinii, Cœlii Rhodigini, A. Lusitani, Schenckii, Eustachii, Marcelli Donati, Sculteti, Panaroli, Wierii, Hildani, Bartholini &c.* in diversis corporis humani aliorumque animalium internis partibus, pilos observari testantium occasione, observationes hasce illustrissimæ Societati Regiæ nobile ejusdem membrum Eduardus Tyson proposuit. Putat vero, vix ullum interaneorum phænomeno huic frequentius expositum esse, quam ovarium seu testiculos muliebres, ejusque rei exempla non ab aliis tantum se percepisse varia memorat, sed & horum tria ex propria autopsia refert.

Primum scilicet in cane fœmella, cujus anteriora satis naturaliter constituta, posteriora emaciata erant, omentum justo majus & extremitatibus suis intestinis, cornubus uteri laterique abdominis dextro annatum, observabatur, ut non nisi cum difficultate separari hinc potuerit; illa vero qua adhærescebat sui parte, aliquantum inflammatum pluribusque glandulis intertextum idem cernebatur. In hujus variis insimul membris pilos vidit, scilicet in omento dicto, uteri cornubus, ovario, venis & ventriculo cordis dextro, alios quidem liberos & separatos, alios in parvis glandulis defixos. Cornua uteri, in quibus fœtuum antecedaneorum vestigia, extremitatibus suis coaluerant, ita ut ambo testiculi unam saltem magnam & informem constituerent glandulam, cui insculptæ cavitates sinuosæ materiam purulentam ac pilos continebant, quorum hi longitudine unciam aut unciam cum dimidia æquabant. Fatetur Tyson, se ad conspectum eorum in ventriculo cordis & venis valde consternatum futurum fuisse, nisi *Cardanus* in cujusdam Hispani, *Slovacius* in fœminæ Cracoviensis, & *Scultetus* in illorum, qui plicam patiuntur, sanguine tales se vidisse perhiberent.

Alteram observationem ex dissectione juvenculæ, una cum D. Morton, & D. Daniele Cox a se anno 1679 administrata, promit, in cujus cadavere præter alia specialiora, pro illius mortis ac morbi lenti causis habenda, tumorem testiculi dextri singularem, in duas vesiculas membranaceas, caput humanum æquantes, abeuntem, deprehenderunt. Vesiculæ hæ parte sua interna invicem communicabant, ac substantia seu liquore, coagulo & sero lactis simili, turgescebant,

bant, quatenus lymphæ pallidiori moleculæ steatomosæ aut coagulatæ materiæ, quæ mollis & adiposa, coloris subflavi, ac omnis fere saporis expers observabatur, innatabant. Harum nonnullæ aquæ calidæ immersæ aliqua sui parte dissolvebantur, & pilos intertextos gerebant; una vero dimidium pugni humani æquans, multum eorum coloris argentei, mollium & firmorum, ulnam cum duabus unciis utplurimum longorum, & ab omni connexione liberorum fovebat. Aliquandiu asservati pili hi ad subfuscum magis colorem vergebant, frequentiusque contrectati rumpebantur. In externa majoris illarum vesiculæ parte residuum conspiciebatur ovarii seu testiculi, & in hoc nonnulla ovula, aut hydatides, hujus propemodum (Oo) crassitiei: simulque, quod mirandum, substantia inibi latebat, quæ denti oculari seu canino figura, duritie, colore omnibusque circumstantiis quam simillima erat. Hæc basi sua latiore membranæ ovarii adhærescebat, ac ejus & utrique lateri bina alia ossa aut dentes minores & irregularis magis figuræ adstabant, quorum forma & magnitudo figura prima sistitur. TAB. V. *Fig. 1.*

Quidam dentem & pilos hos partes embryonis corrupti suspicabantur, sed contradicit his Tyson, (1) quod præter reperta, nec ossa, nec purulenta materia fuerit observata; (2) dens extra ovarii vesiculam, pili intra eandem, extiterint: creditque, lusum potius quendam naturæ subesse, quæ, dum in animalis productione deficit, vegetabile formet, quatenus dentes atque ossa primo molliores existant membranæ aut tendines, postmodum in cartilagines, tandemque in ossa indurescant; pari scilicet ratione, ac tendines crurum in pennatis ossescant, & arteriam magnam, portionem emulgentium ac iliacarum arteriarum in fœmina quadam Oxoniensi viderit osseæ soliditatis. Præter illud quoque, quod ex Willisio de arteria carotide, quodque alias de aortæ principio, in bove, equo & cervo ossescente, notissimum supponit, aliquando tunicam epatis & splenis humani, ac in alio subjecto pulmonis tunicam, partim scirrhosam, partim osseam, se vidisse testatur: hincque infert, simili forsan etiam modo portionem quandam ovarii muliebris scirrhosam aut callosam soliditatem induere posse, circumstantia quadam occulta dentis formam suppeditante.

Ad pilos vero intra folliculum generandos multum conferre putat pinguiorem illam substantiam, in qua hi continentur, similiter ac fila


TAB. V
ad A: 1683.
pag: 216.
fig. 4.
fig. 1.
fig. 2.
fig. 3.
F. Andre Sohn sc:

ac fila bombycum, tela aranearum, gossypium & lanugo graminis tomentosi &c. ex determinatis fiant succis; ita tamen ut hic simul cola sua inveniant, per quæ instar *filorum* metallicorum ferantur. Dum pili, quorum prior *observatio* meminit, maximam partem in exiguis glandulis radicabantur: iis vero, quos observatio secunda exhibet, generandis & *propagandis* materia pinguior & steatomatosa congruum existat *solum*, perinde ac nonnullæ plantæ, dum vegetant, radices suas per *fluidum* aliquod corpus, scilicet aquam, emittunt atque explicant. Quod quidem vel ideo probabile magis suspicatur, quod subsequens similesve historiæ allegandæ, ubi ejusmodi pili reperti fuerint, pariter pinguem seu adiposam ejusmodi substantiam simul adfuisse, testentur.

In tertia siquidem observatione, seu dissectione fœminæ cujusdam, 39 circiter annorum (quæ per longum satis tempus variis calculi renum agitata fuerat symptomatis, urina scilicet cruenta, dolore intenso, vomitibus &c. tandem ipsi sine dubio evadentibus lethalibus) prope uterum visa fuit cystis sive sacculus, magnitudinem ovi gallinæ Indicæ æquans, & in hoc ejusdem cum antecedanea generis materia pinguior ac candidorum atque mollium pilorum insignis copia, carnosæ vero intra folliculum substantiæ annatum os, mandibulæ haud absimile, i. e. diversos alveolos, quibus, quasi in triangulo, tres dentes molares, & quartus aliquantum adhuc latitans, infixi, habens, ut ex *fig. 2.* constat. Alter autem hujus ren calculum satis magnum continebat, *fig. III.* delineatum. TAB. V. *Fig. 2.* *Fig. 3.*

Tandem materiam hanc unctuosam cum pilis sæpius circa uterum reperiri, ex *Sculteto* de Trichias. *Schenckio* & *Horstio* comprobat: D. vero *Needham* superioribus annis in fœminæ cujusdam ovario valde tumido dentem quoque cum pilis se vidisse perhibet.

OBSERVATIO SINGULARIS CIRCA VENÆ *pulmonalis propaginem, tussi sanguinolenta rejectam, relata a D. B.*

A tubo pulmonum horum compagem ita exedi posse, ut interdum cum sputo illorum quædam arrosa vasa excernantur, non adeo quidem experientiæ repugnat: ast sine suppuratione prævia tale quid

contingere, se primum & unicum observasse *Tulpius* credit, dum *lib. 2. obs. 12.* venæ arteriosæ seu arteriæ pneumonicæ surculum, longitudine digitum auricularem æquantem, & *observ. 13.* duos insignes venarum pulmonalium ramos cum sanguine & sine ullo pure rejectos fuisse, perhibet, adeoque in hæc verba erumpit: *Mirabuntur Medici, tantam parenchymatis pulmonum dissolutionem, sine prævio pure. Quod ipsum forte non minus quoque mirabuntur posteri, licet nec visuri, nec lecturi simile exemplum in ullis Medicorum monumentis.* Nihilominus quid elapsi anni mense Septembri in fœmina quadam honestissima hujus generis viderim, posteritatis causa hic referre, congruum duxi. Scilicet postquam hæc per aliquot septimanas de ardoris cujusdam molesta sensatione circa & supra scrobiculum cordis, defluxionibus ad pectus, tussim subinde moventibus conquesta fuerat, ex improviso hæmoptosi satis enormi corripiebatur, quæ quidem remediis adæquatis adhibitis mox cedebat, ægraque per triduum ne guttulam quidem sanguinis amplius rejiciebat, & satis commode reliquas functiones animales exercebat, aliqualem saltem dyspnœam persentiscens. Sed quinto post primam sputationem cruentam die, adeo impetuosam hujus illa experiebatur recidivam, ut intra decem circiter horas sanguinis sinceri, floridi, spumosi ac omnis purulentæ heterogeneitatis expertis, ultra quinque libras excerneret, cum summa & præcipiti maxime virium prostratione ac præcordiorum angustia. Sub principium posterioris hujus paroxysmi simul cum fluido sanguine solidiorem paulo rejiciebat substantiam, membranaceam scilicet, & digitum longam æque ac latam, quam tunicæ tracheæ interioris portiunculam cum eodem *Tulpio lib. 4. obs. 9.* dixisses: finem autem eidem imponebat, postquam sub excretione hac ferina totam noctem insomnem egerat misera, immanissimus quidam tussis insultus, & cum hoc rejectum vas, ab omni fere parenchymate liberum, variisque ramis instructum, cujus iconem *figura quarta tabulæ V* sistit, corpus vero in liquore apto ab illo tempore integrum, cuilibet conspiciendum asservo. Ab hujus quippe vasis excretione tussis aliquando mitescebat, ac cessabat in momento quasi cruenta expuitio, nisi quod primo & altero die quædam saltem quasi sanguinis striæ aut punctula exiguum illud pituitæ, quod tussiendo excernebat Nostra, interdum leviter tingerent. Haud tamen ob id spiritus reddebatur liberior, sed indies potius difficilior,

TAB. V. *Fig. 4.*

præ-

præcordiorum angustia eadem & *in* orthopnœam abiens cum febre continua, singulis vesperis ingravescente, ac tussi recrudescente, uno verbo, talibus symptomatis, quæ vomicæ pulmonum generationem testabantur, ægram *vigesimo*, ni fallor, a prima affectus hujus ingruentia die, *suffocantis*. Venosum, seu venæ pulmonalis propaginem hoc vas longitudine palmam æquans, fuisse, conjicere jubebat hujus substantiæ *textura*, ast per fissuram ejus, ubi a trunco majore illud secessisse *probabile* erat, substantiam carneam, polypo non absimilem, ac totius forsan hujus tragœdiæ actorem primarium, intueri licebat.

OBSERVATIONES MEDICO-PHYSICÆ TRES, excerptæ ex Epistola Dn. Petri Rivalieiz ad Dn. Jac. Sponium Medicum Lugdunensem,

Nemausi quinto Calend. Aprilis 1683 data.

I. Ossa cum alvi fæcibus dejecta.

SUsanna de Fontfroide, uxor Claudii Rivalier, Pharmacopolæ Nemausensis, quinquagenaria major, quæ per viginti quinque annos ulcus uteri, cum omnium ægritudinis istius symptomatum syndrome, sustinuerat, atrocibus tandem alvi & coccygis doloribus correpta est, qui per trium aut circiter hebdomadarum spatium noctesque diesque sævientes, deliria, convulsivos motus, ileumque excitarunt. His sedatis, duodecim aut tredecim ossa, parvula quidem, verum integra & recte conformata cum biliosis alvi dejectionibus excrevit. Horum figura peculiaris in nullis unquam bipedum quadrupedumque ossibus visa fuit, ne suspicari contigisset ab ægrotante deglutita esse. Defunctæ cadavere aperto, prædictum uteri ulcus callo obductum inventum est; abscessus autem steatomatis naturam redolens uterum inter & rectum intestinum adfuit. Sanis interim & inculpatis visceribus donata, nullam in partibus carneis osseisve læsionem præbuit. *Martio Mense 1678.*

II. Nævus monstrosus.

Magdalena de Poussaq uxor D. de Genas de Puyredon, Nemausensis, mulier juvenca, in primis graviditatis mensibus, lienes ovillos infarctos & assos ab ancilla in lance gestatos, casu intuita est. Edulii

nidor nares appulit, oculisque cibum extreme gratum devorans, vix cupidinis suæ compos, manum tunc temporis auri & collo admovit, tanquam partes has scalpere voluisset, ut mos illis est qui aliquid vehementer appetunt. Graviditatis suæ tempora sine ulla invaletudine percucurrit. Adveniente tandem pariendi tempore, filiam enixa est, quæ adstantibus alterum caput gerere visa fuit. Tumorem scilicet habebat dimidii capitis magnitudine, qui ab extrema aure dextra ad mentum usque in longum protendebatur, & latitudinem ab inferiori malæ parte ad mediam colli regionem sortitus erat, radices suas late diffundens, ita ut basis apice duplo latior esset. Color ipsi modo ruber, modo lividus: vasis eodem colore præditis ubique apparentibus instructus, mirum in modum aliquando attollebatur & inflabatur, aliquando detumescebat. Pulsabant vasa, motusque totius tumoris, quandoque arteriarum, imo respirationis motum & ordinem sequi videbatur. Moles ista indies augebatur, prout filiola ipsamet crescebat. Mulierculæ tam monstrosum nævum horrentes, cum acicula punxerunt. Sed erumpentem torrentis instar sanguinem vix cohibere potuerunt, filiolaque vix mortem evitavit. Vocatos interim medicos & chirurgum de fœdo tumore extirpando interpellarunt. Sed cum tenerrima cutis ligatura forti, serica nempe aut linea, secta potius quam compressa fuisset, bombacinam adhibuimus: eaque quotidie arctius constricta, intra mensem, præcisis radicibus aut saltem ad minoris digiti crassitiem redactis, tanquam acrocordon propendebat tumor. Totum præternaturale corpus, ob constricta, per quæ sanguinem & spiritus accipiebat vasa, sensim desiccatum & fœtens forcipe præcisum fuit. Apertum corpus, vasa omnis generis, spongiosam carnem, nervorum plexus, cellulasque instar veri & genuini lienis exhibuit: filiolaque sanitati restituta nullum præter parvæ cicatricis vestigium præ se tulit. *Octobri mense 1678.*

III. Ovum ovo prægnans.

Occurrit mihi forte, *Majo mense 1682*, gallinaceum ovum vitello & albumine instar ovorum communium perfecte instructum, in quo ovum aliud columbini magnitudine continebatur. Situm erat in majoris ovi medio, putamen inter & vitellum cui paulisper adhærebat, mediante materia quadam viscida, quæ non impedivit, quo minus ab

ab illo facile avelleretur, illæsa, quæ vitellum majoris ovi continebat, membrana. Contenti istius minoris ovi testa imperfecta nec solida, facile a substrata, seu ovi substantias succingente tunica, quatenus friabilis, separata fuit. Hac autem aperta membrana, prodiit primo liquor albumineus, intus & extra candidis filamentis conspersus, quique albuminis proprie dicti haud dubie loco erat. Emersit deinde substantia quædam mucilaginea, crystallina, solidiorique consistentia donata. Primo liquori, ut vitellus albumini, cohærebat, & ab illo pari negotio separata fuit. Sphæricam figuram tenacissime servabat, pisi magnitudine. In ipsius medio albæ fibrillæ conspiciebantur, quæ illam præ se ferebant configurationem, quam a vario continentis istius crystallinæ substantiæ situ mutuabantur, cum nempe in plano collocabatur, in longum porrigebantur, cum vero sphæricam rursus figuram repetebat, contrahebantur, microscopio examini tradita, punctula quædam crystallina, nullo ordine constituta, filamentaque candida perlucidaque in ipsius circumferentia, quædamque etiam minus lucida punctula observabantur. Utraque substantia in aquam injecta fuit. Liquidior quæque primo prodierat, supernatavit: posterior autem sive sphærica fundum petiit: igni traditæ induruere. Illa extensa & diffusa fuit: hæc vero rotunda sphærica solidaque. In utraque dissecta nihil heterogeneum adfuit.

OECONOMIÆ SUBURBANÆ a P. CHRISTOphoro Fischer S. I. conscriptæ, PARS PRIMA.

Pragæ, Anno 1679 in 4.

EJUSDEM OECONOMIÆ PARS SECUNDA, eaque Posthuma.

Pragæ, Anno 1683 in 4.

INter rei rusticæ Scriptores loco non postremo hic Autor facile meretur poni. Qui cum in prædiis colendis operæ plurimum studiique consumsisset, amplissimisque, quæ Societatis suæ viri per Bohemiæ regnum possident, per plures quam quadraginta annos præfuisset, negandum nihil censuit eorum votis, qui enixo a se studio, ut, quæ tot annorum experientia edoctus in administrata re Oeconomica observasset,

cum novitiis communicaret Procuratoribus, efflagitarunt. Quamvis vero absolutum in hoc studiorum genere Magistrum dari neminem ultro agnoscat, sed Oeconomiam gymnasium inexhaustum esse, quod, si alia uspiam in re, hic maxime, res, ætas, labor, usus, cœli temporumque facies, & indoles telluris indies quid novi doceant; facere tamen ampliora studuit quæ accepit, eoque monita ac documenta rei suburbanæ administrationi & incremento peropportuna hoc opere est complexus: quo diutius enim hoc in munere versatus est, eo majorem quoque earum rerum comparavit sibi peritiam, in quibus solertis œconomi officia versantur.

Facit ergo Oeconomiam, quæ quidem hujus est loci, duplicem, *Ruralem* & *Domesticam*. Illam in operosa & matura agricultura constituit, annonæque proventu; in ordinate dispositis ædificiis, copiosis altilibus, feraci braxatorio; in granariis & cumeris munde ac solide conservatis, & in grana custodienda recte distributis; in hortis sedulo cultis, & bene elaboratis lupuletis; in necessariis & aqua perenni versatilibus molis; plenis saniore pecore ovilibus; robustis & utilibus armentis; bona progenie impletis piscinis; copiosis sylvis tam cæduis, quam vivis, seu germinantibus; suo tempore caute pastinatis & excultis vineis, aliisque: de qua pars etiam PRIMA agit operis, integra tractatuum Decade, Georgicam quam vocat, constans, & luci anno abhinc quarto jam tum exposita. Horum tractatuum *primo* principem rei familiaris partem, culturam persequitur agrorum, modum & tempus sationis definit, & varia de tritico, siligine, hordeo, pisis, avena, milio, panico adducit documenta, trituratorum fraudes, quidve cum in messe, tum in agrorum stercoratione probe attendendum sit, exponit. Monet autem inter cætera, in omni semente verna, maxime in avenacea, projectam prodige nocivam esse, quod largius illa & velocius germinet, granorumque densitas cohibeat ubertatem.

In *secundo* piscium & piscinarum curam non invenuste explicat, & de aquæ in piscinas ductu, de cyprinorum fœtu justo tempore ac numero illis inferendo, de recte constituendis seminariis, de piscatu, de piscium morbis, & piscinarum corruptela restauranda, de arundinetis extirpandis tractat aliquanto fusius. Piscatorem enim se a nativitate fassus, artis hujus fuisse perstudiosum non dissimulat. *Tertium* locum dedit Braxatorio, ubi non modus solum & praxis cerevisias coquen-

quendi ab ovo, ut ajunt, usque ad mala describitur, sed varii simul cerevisiarum morbi recensentur ac *virtutes*; quin & diversa alimentorum atque medicamentorum, ex cerevisia quæ parantur, genera. Sub finem, ubi lupuli, qui *præstantissimus* in Bohemia omnino gignitur, & in cerevisiariis officinis *desideratur* unice, naturam ac vires exposuisset, de lupuletis *etiam*, vinique sublimati distillatoriis ad usum sic satis accommodate *differit*. Ad *quartum* tractatum, qui describendis hortis & horten*sibus* inservit, observationes quoque refert de herbarum & animan*tium* Antipathia & Sympathia, nec non de mellificio. *Quintus* delineandis Pomariis destinatur. Propositis enim Plantarii, Seminariique conditionibus, insitionum genera, quibus nihil natura invenit solertius, explicat; morbos pariter, & curam arborum, ut & remedia nonnulla talparum, insectorumque damnis opposita. *Sextus* in vinearum cura & cultura occupatur, & de situ ac solo earundem, de apertura & putatione, de prima pastione & propagatione, de vitium pullatione & pampinatione, de vinetorum firmatione & vitiis, de maturitate & vindemiæ collectione monita cum jucunda, tum utilissima subjicit. *Septimus* de sylvis ac lignis instruit Oeconomum. *Octavus* de ovibus, ovium natura, utilitate, cura, pascuis, & pabulo: præterea de pactis cum opilione ineundis, & hujus officio, de agnellorum castratione & tonsura, de cavendis opilionum imposturis, de *pratis* denique, & fœnisecio. *Nonus* curam docet pecoris, cum bubuli, tum porcini. *Decimus* idemque ultimus altilia contemplatur, & quid possit commodi ex corte, ex anseribus, ex nossotrophio, & peristerotrophio sperari, commemorat. Sub cujus extremum ἀνακεφαλαίωσιν eorum, quæ hucusque fuerunt proposita, subjungit, una cum rerum potiorum indice, & syllabo Latino-Boemo-Germanico, vocum varium sensum & dictionum vim interpretante, ne quem forte Latina vocabula, huic argumento familiaria suspensum teneant.

ALTERA pars operis *Domesticam* œconomiam respicit: quæ sicut in prudenti regimine omnium actionum domesticarum, earumve per distributa tempora regulari ordine Autori ponitur: sic diversis hujus quoque partis tractatibus distincta argumenta dedit. Et *primo* quidem Cancellariam Oeconomicam ejusque requisita. Reconditorium enim hic delineat, seu ideam Archivi rei familiaris, cum perpetuo Calendario; in quo præcipuæ Oeconomiæ operæ in synopsi per menses

ses distributæ designantur, adjectis varii generis prognosticis ac reminiscentiis.

Secundo tractatu leges præscribuntur & instructiones, villæ Possessori seu Patrifamilias primum, deinde Capitaneo, ejusque substitutis ministris; Scribæ puta redituum, Scribæ frumentarii, Exactori seu Burggravio, & Braxatori. *Tertius* regimen in dominio aliquo bene constituto attendendum continet, cujus quidem petitur exemplum e districtu omnium *fertilissimo*, Slanensi. Declarato enim regiminis istius fundamento, subductisque rationibus, quis per annum haberi fructus ex Dominii hujus agris, ex re pecuaria, altilibus, braxatorio, piscinis, hortis, censu, ex lignatione denique & venatione queat, constituit; primarias dein expensas cum acceptis contendit: postremo in officialium salariis, alimonia familiæ, pecorumque pabulo describendis sic versatur, ut quantitatem & pondus annonæ in mensem, quin & in annum necessariæ, subjectis tabulis demonstret. *Quartus* modum tradit rite conficiendi rationes quotidianas, hebdomadarias, menstruas, annuas. In *quinto* variæ villarum lustrantur officinæ, Molitura, Pistrinum cum frumentaria taxa, Ustrina seu fabrile, Textrinum cum materia sua proxima remotaque, quo simul loco de tractatione cannabis agitur atque lini, & quis sit utriusque fructus. Corollarii denique seu mantissæ titulo documenta accedunt de *villis* seu bonis emancipatis, de institutione pupillorum, de judiciis annuis paganis, & hæreditatum devolutione; de terminis ac limitibus cum vicinia; de metarum testibus horumque requisitis. Subjungitur huic secundæ parti geminus quoque index, unus rerum potiorum continet capita, alter vocum syllabum trilinguem.

Præter hactenus enumeratas & tertiam Autor partem affectam habuisse fertur, in qua Geometriam ruralem, ædificiorum symmetriam, officinas metallorum, aliaque non ad splendorem tantum ac ordinem, sed etiam ad utilem curiositatem maxime facientia persequi statuerit; Sed fata viri, quo minus elaborari ac perfici potuerit, intercesserunt. Adeo incertis eventibus exponuntur, quæ in extremam senectutem conjicimus.

❀)o(❀